


Negavit Pet. Lombardus *Lib. 1. Sent. Dist. 17.* asserens, eam esse ipsum Spiritum S. habitantem in anima. Refellit D. Thom. 2. 2. *Q. 23. Art. 2.*

2. An discrimen charitatem *perfectam* inter, quæ extra Sacramentum statim sanctificat, & *imperfectam*, quæ sine Sacramento justificationis gratiam non consequitur, repetendum sit à *sola causa movente*, putà *Bonitate Dei absoluta*, an simul ab actûs *intensione*, aut *diurnitate*.

OMITTENDA.

1. An charitas sit virtus unius speciei.
2. An eadem in via, & patria.
3. An habitus charitatis possit influere in actum ipso instanti urgentis præcepti.



TRACTATUS QUINTUS.

De Virtutibus Cardinalibus.

POST explicatas virtutes *Theologicas* procedit Theologia dogmatica ad *ethicas*, ac præcipuè ad *Cardinales*, propterea sic dictas: quòd sint virtutum *ethicarum* reliquarum omnium quasi *Cardines* quidam, in quibus ex vertantur quodammodo, & sustententur.

Enumerari autem solent quatuor: *Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo.*

De virtutibus istis disputabit Theologus, modo non merè *Philosophico*, nec solum naturale lumen attendens; sed, quæ de his virtutibus dicitur ratio, conjunget more *Theologico* cum iis, quæ juri naturali superaddidère leges *divinæ*, & *humanæ*, præsertim *Ecclesiasticæ*.

PARS I.

De Prudentia.

SECTIO I.

De prudentia natura, ejusque partibus.

PRINCIPIA.

Prudentia Natura.

1. Prudentia est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum. S. Aug. *Lib. 83. qq. Q. 61.*
2. Ad eam requiritur industria quædam, per quam sciunt benè providere, quæ agenda sunt. D. Thom. 2. 2. *Q. 47. Art. 14. dub. 1.*

Divisio.

3. Hæc duplex est. Una quidem, quæ est *sufficiens* ad ea, quæ sunt de necessitate salutis. Alia *plenior*, per quam aliquis sibi, & aliis potest providere; non solum de his, quæ sunt necessaria ad salutem, sed etiam de quibuscunque pertinentibus ad humanam vitam. D. Thom. *loc. cit. ad 2.*
4. Omnibus gratiam habentibus datur prior, non posterior. Idem *ibid.*

Necessitas.

5. Prudentia cum omnibus necessaria est, tum maxime Ecclesiæ Capitibus.

In hæc convenit, quod dicitur Matth. 24. v. 45. *Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* id est, doctrinæ sanæ, & salutaris pascua.

Prudentia

Prudentiam eorum hanc in eo oportet eminere potissimum; ut in doctrinas, & homines, non temerè, sed magnâ circumspèctione, stringant anathematis gladium; ut fortiter quidem se opponant enascentibus perniciosis novitatibus, ne invalescant; at eodem tempore moderatè, ut vitentur, quoad ejus fieri potest, scandala, & seditiones, néve evellendo zizania, eradiceretur & triticum. De his præclare *Muratorius*, in suo Opusculo, quod sub nomine ascititio *Lamindi* edidit, *De moderatione ingeniorum*, Lib. 2. à Cap. 1.

6. Necessaria quoque Principibus politicis, Magistratibus, omnibusque cæteris, qui præsunt.

Partes subjectæ.

7. Hinc prudentia alia statuitur *privata*, per quam suo quisque bono consulit; alia *gubernatrix*, quæ bono communi providet.

8. Hæc rursus dividitur in *Oeconomicam*, quæ familiam; *Politicam*, quæ rempublicam; *Nomotheticam*, quæ leges; *Militarem*, quæ rem bellicam rectè ordinat. D. Thom. 2. 2. Q. 50.

Virtutes prudentia comites.

9. Comitantur prudentiam (1) virtus *Eubulia*, sive bonæ consultationis, præbens facultatem rectè consultantis; (2) *Syneſeos*, sive boni sensûs, vel judicii, dans facultatem rectè judicandi de consultatis secundùm communes regulas; (3) *Gnomes*, dictans, quandoque aliquid esse, præter communes regulas agendorum, faciendum, secundùm aliqua altiora principia.

E. g. *Syneſis* secundùm communes regulas judicat, reddendum

dum esse depositum: *Gnome* secundum altiora principia
judicat, non esse illud reddendum hosti patriæ. D. Thom.
ibid. Q. 51.

Actus prudentiæ.

16. Actus prudentiæ tres sunt. (1) *Consiliari*, sive inve-
stigare appetenda, & refugienda. (2) *Judicare* de in-
ventis. (3) *Applicare* consiliata, & judicata ad
operandum. D. Thom. 2. 2. Q. 47. Art. 8.

SECTIO II.

De vitiis Prudentiæ oppositis.

PRINCIPIA.

1. Vitia opponuntur prudentiæ, alia *per defectum*, alia
per excessum.
2. *Per defectum* ei opponitur *imprudentia*.
3. Ad quam pertinent *precipitatio*, *inconsiderantia*,
inconstantia, *negligentia*. De quibus D. Thom.
2. 2. Q. 53. & 54.
4. Ad imprudentiam etiam refertur, *inniti sue pru-*
dentia; quod est proprium indocilium vitium.

Innititur propriæ prudentiæ, secundum S. Hieronymum, qui
ea, quæ sibi videntur agenda, vel dicenda, Patrum decretis præponit.
Quod quàm in rebus dogmaticis periculosum sit, in com-
perto est.

3. *Per excessum*, vel potiùs falsâ quâdam imagine, &
similitudine prudentiæ, peccatur contra veram pru-
dentiam *per prudentiam carnis*, *per astutiam*,
dolum, *fraudem*, *solicitudinem temporalium*, *so-*
licitu-

licitudinem futurorum. De his videatur S. Thomas 2. 2. Q. 55.

Singulorum vitiorum istorum expositioni adjungetur declaratio, an, & quale peccatum ex genere suo sint singula.

QUÆSTIONES.

1. An, quando, quâ de causâ, & quibus restrictionibus, uti liceat, citra astutiæ vitiam, & salvâ prudentiâ.
2. Quandonam quis potius jure suo uti, quàm fraudem facere, censeatur?

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Ab Innoc. XI. 26ta. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio sine, juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non est mentitus, nec perjurus.*

27ma. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas; vel quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

REGULÆ QUÆDAM DE DOLO.

1. Ne dolus præstetur, turpe pactum est.
2. Dolus non purgatur casu. L. 16. ff. de nox. act.
3. Dolo facere videtur, qui id, quod potest restituere, non restituit.
4. Qui dolo desit possidere, censeatur adhuc possidere.
5. Dolus est, nolle exigere, quod quis exigere potest.
6. In dolo etiam ille est, qui scienter recepit.
7. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.
8. Dolo facit, qui petit, quod exceptione elidi potest.

- 9. In dolo censetur ille, qui fraudulenter tacet.
- 10. Dolus cum dolo compensatur.
- 11. Unusquisque doli sui pœnam subire debet.
- 12. Dolus abest, ubi iusta causa reperitur.
- 13. Dolo malo habere, vel agere, non videtur, qui jure suo utitur.
- 14. An dolo quid factum sit, ex facto intelligatur.

REGULÆ DE FRAUDE.

- 1. In fraudem facere is videtur, qui non facit, quod facere debet.
- 2. Fraus legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem vetuit, id fit.
- 3. Fraudem facere non videtur, qui fraudem excludit.
- 4. Quæ ex improvise accidunt, fato plerumque, non fraudi, imputantur.
- 5. Fraus, & dolus, alicui non debent patrocinari.

PARS II.

De Jure.

Juris peritis *Justitia est Constans & perpetua voluntas jus suum* (sive id, quod jure debetur) *cuique tribuendi.* Idem reipsa Theologi sentiunt definientes *Justitiam, esse Virtutem ethicam, que inclinet hominem ad constantem jus suum cuique tribuendi voluntatem.*

Ad intelligendam igitur *Justitiæ naturam, ejusque officia,* necessaria est prius *juris notitia.*

SECTIO I.

De varia significatione, & definitione Juris.

PRINCIPIA.

- 1. Nomen *Juris* varias in communi loquendi usu significationes habet.

2. Præcipuæ tamen sunt hæ: Jus à *jubendo* derivatum, modò significat *Legem*, quo modo Jus aliud dicitur naturale, aliud gentium, aliud civile &c.
3. Modò significat *sententiam* judicis. Hinc *Jus dicere*.
4. Modò *Judicii locum*. Unde *in jus vocare*, *in jus ire*.
5. Celso l. 1. ff. de J. & J. princ. *Jus est ars equi & boni*. Quo sensu Jus denotat *juris*, sive *legum*, *sententiam*.

Significationes hæ omnes non sunt hujus loci; sed potiùs pertinent ad materiam de Legibus, de quibus *Tract. 3. Part. 2.*

6. Demum Jus significat *id, ex quo quod debetur, Justitia jubet cuique tribuere*.
7. Deberi aliquid alteri potest, non solùm ex residente in altero *jure* id exigendi, sive ex *justitiâ*: sed etiam *ex alia quadam virtute, vel causâ*.

E. g. Ex pietate, ex misericordia, ex naturali vel æquitate, vel decoro, vel necessitate &c. quæ non pariunt debitum justitiæ. Magni autem momenti est, scire discrimen inter justitiæ, & aliarum virtutum debita; cum sint diversa istorum debitorum effecta. Necessaria est igitur exacta definitio *Juris*, ex quo uno *Justitiæ debitum* proficiscitur.

Omissâ definitionum variarum (quarum complures referat Haunoldus de J. & J. *Tract. 2. Cap. 1. Controv. 2. à §. 3.*) prolixiâ commemoratione, & confutatione; satis erit, si ea proferatur, ac stabiliatur, quæ videbitur Professori clarior, verior, atque ad juris effecta omnia demonstranda aprior.

SECTIO II.

De iis, qua ad conferendum alicui jus necessaria sunt. Item de materia, & effectis juris.

PRÆSCITA.

1. Quæ in jure consistunt, *res incorporales* sunt, & *entia moralia*, quæ magis intellectu percipiuntur, quàm tactu, aliòve sensu.
2. Quemadmodum verò omne *ens morale* ortum suum trahit *ab ente physico*, ita & *jus*, & quæ in *jure* consistunt.
3. Non est ergo otiosum, fundamentaliter hîc docere, ex quarum rerum congerie nascatur *Jus*.

Aliàs non dijudicabitur, utrum *jure* aliquid à me fiat, permittatur fieri, fieri ve prohibeatur, nec ne.

4. Titulus hîc est causa illa, per quam habes jus, quæ & *modus acquirendi* vocatur.

De variis Titulorum speciebus infra. Hoc loco duntaxat explicabitur, quid sit titulus *verus*, quid *coloratus*.

5. Acceptatio est tituli oblatis voluntaria admissio: Eaque vel *vera* & *propria*, uti in contractibus, vel *facta*, uti in quasi-contractibus &c.

PRINCIPIA.

1. Basis & fundamentum omnis juris est *Titulus*, ità, ut nihil jure petere, accipere, vel retinere, sine eo possis.
2. Ad acquirendum & habendum jus necessaria quoque est *Lex favens*.

Et

Et alia quidem jura descendunt ex lege naturali; alia ex lege divina; alia ex jure gentium; alia ex jure civili; alia etiam ex lege ecclesiastica. Adferentur singulorum exempla. Ostendatur item, quo differant facultas, & jus: lex enim naturalis interdum facultatem præbet sine jure, interdum cum jure.

3. Quoniam lex positiva potest legi naturali aliquid addere, & facultatem, alias jure naturæ liberam, restringere: propterea ad habendum jus non sufficit sola lex naturæ favens, sed necessaria quoque est legis positiva, jus naturale restringentis, absentia.

4. Quousque tamen non reperitur clara lex positiva illud restringens, manet juris naturalis possessio.

Consentit definitio libertatis, quæ §. 1. Inst. de Jure person.

Est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet; nisi, si quid vi, aut lege, prohibetur. Explicabitur, quo differat acceptio libertatis secundum Theologos ab ista definitione; nam

Juris nulla ad malum est libertas; cum turpia nec posse facere censeamur. l. 15. ff. de Condit. Instir. Theologicam verò libertatem jus prohibens non tollit.

5. Requiritur item ad jus acceptatio voluntatis, vel reapse propria, vel proprietantum ex interpretatione juris; eaque vel expressa, vel tacita; actualis, vel habitualis.

6. Traditio rei non est necessaria ad jus generatim spectatum: sed tantum necessaria est ad illam juris speciem, quæ jus in re dicitur, licet non semper, de quo infra.

His ritè explicatis, & probatis, necesse non erit hæere in quæstione illa dialectica, & metaphysica: An enumerata hædentes omnia pertineant ad intimam juris essentiam physicam, nec ne.

7. *Materia juri proxime objecta*, sunt *actiones nostræ*, vel *actionum intermissiones*, *præstanda jus habenti ab aliis*. *Res verò circa quas actiones ejusmodi, vel intermissiones, versantur, sunt materia juris remota.*

Hæc aliquando etiam vocatur *ius*: ut supra in definitione *Justitiæ*.

8. *Exque res aliquando sunt corporea, aliquando incorporea; mobiles, immobiles; animata, inanimata.*

9. *Effecta juris sunt* (1) in aliis *Obligatio*, sive *juris vinculum*, quo eorum conscientia obstringitur ad certas actiones, vel actionum intermissiones, habenti jus exhibendas. (2) *Quod in habente jus pariat, saltem plerumque, actionem, sive jus persequendi in judicio, quod sibi debetur.* *Qua de re infra pluribus.*

10. *Obligatio alia est naturalis, alia civilis, alia mixta.*

11. *Qui obligatur ad aliquid, universè dicitur Debitor; qui alterum sibi obligat, Creditor.*

PROBLEMATA.

1. *An omnis actus, contra legem merè prohibentem positus, sit irritus, ut nullum jus pariat.*

2. *An omnis actus, pro foro externo ratus, vel irritus, sit etiam talis in foro conscientie.*

Quæstio: An dari possit jus ad actiones illicitas, tota ferè versatur circa modum loquendi; ac propterea vel omitretur penitus, vel per modum argumenti paucis dissolvetur.

SECTIO III.

Juris varia divisio.

PRINCIPIA.

1. Jus primò dividi solet in *activum*, quod residet in creditore, & in *passivum*, sive *debitum*, quod est in debitore.

Verùm hæc divisio non tam est in *partes*; eidem juri subje-
ctas, quàm in *reciproca*, vulgò *correlativa*. Reciprocatio
enim est, ut, si in creditore sit *jus activum* (quod solum est
propriè jus) in debitore sit *jus passivum*, quod non est *jus*,
sed *debitum*, sive *vinculum juris*.

2. Deinde dividi solet in *Jus jurisdictionis*, sive *im-
perii*, quod *utilitatem obligati*, sive *subditi*; & in
Jus proprietatis, quod *utilitatem propriam ob-
ligantis*, sive *creditoris* per se spectat.

Utrum hæc divisio univoca sit, nec ne, parum refert. Reti-
netur, quia usum habet. Quare hic quædam scitu necessa-
ria de utroque membro dividente tradentur.

De Jure Jurisdictionis, sive Imperii.

3. Imperium aliud est *privatum*, aliud *publicum*.
4. Privatum reperitur triplex. (1.) *Maritale*, ex jure
divino. Gen. 3. v. 16. (2.) *Herile* ex jure gentium.
(3.) *Paternum*, primitus quidem ex *jure naturali*
descendens, sed *jure civili* auctum.

Hic de effectis *patris potestatis*; & quousque ea duraverit olim
de Jure Romano; quando finiatur jam ex moribus hodi-
ernis. Paucis etiam attingatur, *verum jus vitæ in liberos*, ne-
cisque potestas, olim à Romanis, rectè, & salvo jure divino, ac natu-
rali, permissa fuerit patribus? Item, an hæc *verum potestas* ma-
gès permitti poterit, quàm dominorum in servos.

5. Imperium publicum dividitur in *Ecclesiasticum*, & *Civile*.
6. Jurisdictio vel conceditur *ab ipsomet Deo*, vel per *homines*, à Deo potestatem habentes; vel à *jure*, vel *privilegio*, vel *consuetudine*, vel *prescriptione*.
7. Jurisdictio alia *ordinaria* dicitur, alia *delegata*.
8. Jurisdictio delegatur interdum *ad unam causam*, officium, actum, sive functionem, & tunc simpliciter vocatur *delegata*. Interdum verò *ad universitatem causarum*, eamque vel *absolutam*, vel *respectivam*: & tunc proprie nominatur *mandata*.

REGULÆ.

1. Habens jurisdictionem *ordinariam* mandare potest, & *subdelegandi potestatem dare*.
2. Habens *mandatam* mandare non potest, benè verò *delegare*.
3. Habens simpliciter *delegatam*, sine expressâ *subdelegandi potestate* acceptâ, *subdelegare* non potest.

Hæ regulæ applicentur ad Parochum, Parochique substitutum: Ubi eadem viâ dicitur, quomodo expiret jurisdictionis &c.

QUÆSTIO.

An, sicut jurisdictionis ecclesiastica, ita & politica, sit immediatè *ab ipsomet Deo* constituta?

Ubi occurrent exponenda hæc sacrarum Scripturarum verba: *In unamquamque gentem preposuit rectorem*. Eccl. 17. v. 14. *Non est enim potestas nisi à Deo, qua autem sunt à Deo, ordinata sunt*. Rom. 13. v. 1.

De jure proprietatis.

- 9. Jus proprietatis aliud est *jus in re*, aliud *jus ad rem*.
- 10. *Jus in re* est, quo mihi affecta est proximè ipsa *res* ità, ut possim eam, quemcunque ad possessorem per venerit, mihi asserere, & in judicio perse qui per *actionem in rem*.
- 11. *Jus ad rem* verò est, quo non est ipsa *res*, quæ debetur, sed *persona debitoris*, mihi proximè obligata l. 3. ff. de O. & A. quam possim in judicio con venire per *actionem in personam*.

Explicabitur utrumque hoc jus in exemplis.

REGULÆ.

- 1. Omne jus, quo utimur, vel ad *personas* pertinet, vel ad *res*, vel ad *actiones*.
- 2. Totum jus consistit, aut in *acquirendo*, aut in *conservando*, aut in *minuendo*.

QUÆSTIONES.

- 1. An, & quando ad *acquirendum jus in re*, requiratur *res traditio*, & quotuplex hæc sit?
- 2. An liceat aliquando, propriâ auctoritate vindicare sibi *rem*, in qua *jus* habeas, ab alio injustè detentam.

SECTIO IV.

De variis speciebus juris in re.

Juris in re species sunt quinque. 1. *Dominium*, vel *Quasi-dominium*; 2. *Hæreditas*; 3. *Servitus*; 4. *Pignus*; 5. *Possessio*.

S. I. De Possessione.

PRINCIPIA.

- 1. *Possessio* aliquando pro *Actu*, aliquando pro *Jure*

possidendi accipitur. Illa possessio facti, hæc possessio juris dicitur.

2. *Possessio facti est detentio rei, corporis, & animi, & juris, adminiculo.*

3. *Possessio juris est jus insistendi alicui rei tanquam suæ.*

4. *Alia est justa, & non vitiosa; alia injusta, & vitiosa. Alia cum bonâ, alia cum malâ fide.*

5. *Acquiritur, & amittitur, corpore, & animo simul, neutro solo. Retinetur solo animo.*

Enumerabuntur hoc loco speciatim modi acquirendæ, & amittendæ possessionis: quantum satis est scire Theologum ad dirigendas in foro interiore animas. Quæ verò fuerint merè juridica, & ad solum forum externum spectantia; ea tam in hac, quàm in aliis sequentibus materiis, relinquuntur Juris.

Proponentur deinde, & stabilientur principia; ex quibus intelligatur, quid, & ubi, restituere debeant, qui rem alienam bonâ, qui malâ; qui partim bonâ, partim malâ fide, possederint.

AXIOMATA.

1. *Lite pendente nemo privandus commodo suæ possessionis.*

2. *In causa pari, vel dubiâ, melior est conditio possidentis.*

3. *Possessio, & proprietas, possunt separari.*

4. *Possessionis causam, vel vitium, nemo sibi mutare potest,*

5. *Possessio propriâ auctoritate apprehendi non debet, etiam ex titulo.*

6. *Possessori legitimo res ablata restitui debet, et si non sit ejus dominus.*

7. *Vitium rei sequitur omnem possessorem.*

8. *Bona fides tantandem possidenti præstat, quantum veritas.*

(141)
PROBLEMATA.

1. An bonæ fidei emptori liceat rem empram reddere furi, ut pretium recuperet.
2. An possit iustè à domino repetere pretium, & impensas.

OMITTENDA.

1. An possessio sit species juris in re distincta à dominio.
2. An ejusdem rei, & eodem modo, possessio possit esse penès duos in solidum.

§. II. De Pignore.

PRÆSCITA.

1. Ut *pignus*, ita & *hypotheca*, accipitur trifariam: (1) enim est *res pignori*, vel *hypothecæ*, data. (2) Est *pactum*, vel *contractus*, quo datur. (3) Est *jus inde quæsitum* creditori.
2. *Pignus* propriè *rei mobilis* est, *hypotheca immobilis*. Hæc pacto solo confurgit: illud *rei traditione* perficitur.

Sæpe tamen confunduntur, parique juris passu ambulant plerumque, quo sensu l. 5. §. 2. ff. h. t. dicit: *Inter pignus, & hypothecam tantum nominis sonus differt.*

Arrha etiam alicubi vocatur *pignus*.

3. *Pignus* dividitur in *conventionale*, *prætorium*, *judiciale*, & *legitimum*.
4. *Hypotheca* alia est *expressa*, alia *tacita*. Alia *generalis*, alia *specialis*.

PRINCIPIA.

1. Quæ alienari non possunt, nec possunt oppignorari; & qui nequit alienare, nequit oppignorare.

2. Cre.

2. Creditor re oppignoratâ uti non potest contra voluntatem debitoris; quia hic manet rei dominus.

3. Ejus fructus manent domino, qui si percipiuntur à creditore, debent *de lege ordinariâ* computari in diminutionem sortis.

4. Creditor potest pignus acceptum oppignorare alteri, non tamen pro majore sorte.

5. Non licet eandem rem oppignorare, vel in hypothecam constituere, pluribus; nisi sufficiat ad satisfaciendum omnibus, vel posteriores de priore pignore moneantur.

6. Res oppignorata per se non potest invito domino distrahi.

7. Res oppignorata manet creditori, quò ad illius interest, obligata, ad quemcunque pervenerit.

8. Paritque illi jus prælationis ante simplices creditores alios.

Hic pauca de privilegiatis, etiam citra hypothecam, creditoribus.

9. Creditor in pignore sibi tradito acquirit possessionem naturalem tantum.

10. Et debitor rem suam, illi oppignoratam, auferens, potest furtum committere.

11. Obligatio pignoris dissolvitur variis modis; Qui enumerabuntur.

PROBLEMATA.

1. Utrum in pignore valeat pro foro conscientie pactum legis commissoriae.

2. Utrum careat usurae vitio contractus antichreticus: quo convenitur, ut creditor, donec restituatur ei debitum, percipiat fructus pignoris.

Quâ in quaestione delicatâ ita versabitur Professor, ut nec foveat usuras palliatis, nec laqueum conscientie iniiciat.

§. III. De Servitute.

PRINCIPIA.

1. Servitus alia est *hominum*. (de qua hîc sermo non est)

est) alia rerum; quæ defini potest: *Jus in re alteri constitutum, propter quod dominus, ad commodum alterius, aliquid, aut pati in suo, aut non facere, tenetur.*

Qui habet ejusmodi jus in re aliena, habere *servitutem activam*; qui autem tenetur pati aliquid in suo, aut omittere, *passivam* habere dicitur.

2. Si servitus *personæ* propter se constituta sit, dicitur *personalis*; si constituta sit proximè in *prædio*, & *personæ* propter *possessionem prædii*, dicitur *realis*.
3. Servitus *realis* alia est *prædiorum rusticorum*, alia *urbanorum*.
4. Rusticorum prædiorum servitutes sunt hæ: *Iter, Actus, Via, Aqua ductus*. Item *Aqua haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquenda, arena fodienda*.
5. Prædiorum urbanorum servitutes sunt: ut in parietem alicujus liceat vicino tignum immittere &c. *Inst. ibid. §. 1.*

Explicabuntur singula ex jure civili. *Inst. L. 2. Tit. 4. & 5.* quantum necesse est scire Theologum.

Exponetur item, quomodo acquirantur servitutes, & amittantur, & quænam sint singularum jura.

QUÆSTIONES.

1. An servitus, præsertim *realis*, acquiri possit per *usucapionem*, etiam sinè bonâ fide cceptam.
2. An, & quo sensu, in res, quæ ipso usu consumuntur, possit constitui *usufructus*.

E. g.

E. g. Statuta Patriæ nostræ Trevirensis de Anno 1713. statuunt Tit. 6. §. 8. & 17. ut conjugum altero mortuo pars superstes habeat, quo ad vivet, usumfructum bonorum *immobiliarum*, à defuncto relictorum. Tit. 7. §. 3. autem inter bona *immobilia* numerantur multa, quæ ipso usu consumuntur; ut pecuniæ ex negotiatione collectæ, vina, frumenta, aliæque mercimonia in negotiatione comprehensa. Quomodo in his constitui potest usufructus, qui *salvum* debet relinquere *res substantiam*? Vid. Instit. L. 2. Tit. 4. §. 2.

3. An in rebus, quæ ipso usu consumuntur, possit simplex usus *facti* licitus separari ab usu *juris*, & dominio.

Quæstio hæc, quamvis minoris per se momenti; celebris tamen, & utilis est propter concurrentes in eam duas famosas *Extravagantes* Nicolai IV, & Joannis XXII; quarum notitia exacta necessaria est in Quæstione, *An Romane Pontifex falli possit extra generale Concilium.*

§. IV. De Hereditate.

PRÆSCITA.

1. Hereditas aliquando significat *ipsum jus hereditatis* (de quo hic loquimur) aliquando *res*, quæ in hereditate continentur.
2. Hereditas est *successio in universum jus*, quod defunctus habuit.

PRINCIPIA.

1. Ea obvenit vel ex *Lege*, sive ab *intestato*, vel ex *Testamento*.

Successio ab intestato.

2. Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, ut dicetur infra, aut id, quod fecit, ruptum, irritumve factum, vel destitutum est.
3. Intestatus quis decedens *fideicommittere* codicillis potest.
4. Ab

4. Ab intestato succedunt primo loco descendentes; secundo loco ascendentes; tertio laterales; quarto conjuges; quinto fiscus.

Successio ex Testamento.

5. Testamentum est ultima mentis testatio, sive voluntas, haredis continens institutionem.
6. Aliud *publicum* est, veluti oblatum Principi, aut positum ad acta. Aliud *privatum*, quod privatâ fide sustinetur. Hoc est *scriptum*, vel *nuncupativum*.
7. Privatum (nisi *privilegiatum* sit) requirit certas condiciones, & circumstantias testandi, quæ vocantur *solemnitates*.

Has explicabit Professor, tam quæ testamentis, scripto, & nuncupativo *communes* sunt, quam quæ utriusque *proprie*. Non omittet etiam monere, quam præter jus commune testamentorum solemnitatem ratam habeant Statuta patriæ nostræ *Tit. I.* Erit hoc pastoribus animarum rurî degentibus utile scitu, ac sæpe necessarium.

Privilegiata penitus, testamenta sunt, militis, & parentum inter liberos, in quibus nulla desideratur solemnitas; alii addunt testamenta ad causas pias. *Aliquantenus privilegiata* sunt, rusticorum, & pestis tempore condita.

8. *Codicillus*, & *mortis causâ Donatio*, sunt species ultimæ voluntatis minùs solennes.

Exponetur, quid ad horum valorem requiratur, & sufficiat.

9. *Legatum*, & *Fideicommissum* sunt aliæ quædam species ultimæ voluntatis.

Hæc fieri debent vel testamento, vel codicillo, vel donatio-
ne mortis causâ.

Axiomata de testamento, & hereditate.

1. Omne testamentum confirmatur morte testatoris.
2. Nemo paganus partim testatus, partim intestatus, decedere potest.

*Paganus hic non opponitur Christiano, sed militi: unde & testa-
menta non-militaria vocantur pagana.*

3. Basis testamenti est institutio hæredis, cui substitui potest.
4. Testamentum adgnatione posthumi, sive posthumæ rum-
pitur, & eâ ratione totum infirmatur.
5. Testatoris voluntas per omnia est implenda.
6. Viventis nulla est hæreditas.
7. Codicillis nec dari potest hæreditas, nec adimi.
8. Hæreditas nomen juris est, accessionem, & decessionem
admittens.

9. Hæres locum defuncti obtinet.

10. Hæreditatis emptor vicem hæredis subit.

11. Hæreditatem repudiare potest, qui acquirere.

12. Adiri hæreditas potest verbo, vel facto.

*Explicabitur, quid sit, & quam vim habeat aditio hæreditatis
cum Beneficio inventarii.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Ex quo jure, an naturali, an gentium, an positivo, descen-
dat liberorum, aut propinquorum, successio, & testamenti factio.
2. An testamentum pagani, solennitatibus juris civilis destitu-
tum, valeat saltem pro foro animæ.
3. An requisita Cap. *Cum esses* 10. § *de testam.* sint solennita-
tis, an *solius probationis gratiâ.*
4. An Clerici testari possint de proventibus suorum benefi-
ciorum, etiam ad causas profanas.

5. An

5. An Clericus in Imperio Romano testaturus solutus sit so-
lennitatibus juris civilis.

6. An, & quando, filius-familias possit cum, vel sine consensu
patris, testari.

7. Quæ legata testamento corruente non corruant.

8. Ex quibus legatis non deducatur quarta Trebellianica.

9. An filius-familias fideicommissio gravatus possit post ac-
ceptam legitimam insuper deducere Trebellianicam.

10. An, qui hæreditatem ære alieno gravatam adiit sine be-
neficio legis, & inventarii, teneatur in conscientia ultra vires
hæreditatis.

11. An hæres præsidio juris civilis tueri se possit in consci-
entia, quò minus reparet damna, per delictum defuncti aliis illata.

§. V. De Dominio.

1. Dominium est jus in re, quo res nostra est.

2. Aliud est *perfectum*, & *plenum*; aliud *imperfe-
ctum*, & *minus plenum*.

3. Imperfectum duobus modis esse potest: *dum vel
non est liberrima usus, & abusus*, id est, consum-
ptionis, *facultas*, veluti in re communi, adhuc in-
divisâ; aut *cujus alienande potestas non est*; & cum
est *quædam facultatum*, dominium conflantium,
divisio; ut, cum penès hunc est *proprietas* rei, pe-
nès illum *utilitas*.

4. Hinc oritur partitio dominii in *directum*, sive *pro-
prietatis*, & in *utile*.

Dominium utile à directo separatum habent *vasallus* in re
feudali, & *emphyteuta* in re emphyteutica. Differunt em-
phyteu-

phyteucaria bona à censuricis, colonariis, & usufructuariè solum possessis.

5. Aliud rursus est *Eminens*, & *Altum*; quod habet Princeps, vel Republica, in bona singulorum subditorum, ad succurrendum, necessitatibus publicis. Aliud *inferius*, vulgò *bassum*; quo in res suas gaudent privati.

Patrimonia corona, bona mensa, aut Camera Principum, ut vocant, non spectant ad dominium altum; sed sunt Majestatis peculiare patrimonium.

6. Habenti dominium eminens debentur à subditis in conscientia tributa; ex illo Rom. 13 v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.*

7. Effectus domini sunt, usus, & abusus rei nostræ, nec non ejus vindicatio.

8. Rerum suarum quilibet est moderator, & arbiter; nisi naturâ, lege, vel aliter, prohibeatur.

PROBLEMATA.

1. An lex civilis, irrogans jacturam rei, propriâ auctoritate vindicata, obliget in conscientia, ante sententiam judicis.

2. An occultâ compensatione uti liceat; præsertim, ubi species commutatur cum specie, nesciente, & sæpè invitâ parte alterâ.

De dominio duorum *in solidum* disputare parum habet profectus. Omittis itaque speculationibus, quarum quædam merè sunt metaphysicæ, tradetur discipulis idea hujus vocis: *in solidum*: dicendo, quid jure civili ac canonico certum sit; nempe nec possessionem, nec dominium, constare posse penes plures *in solidum*, sed solum obligationem *in solidum* dari. Subjungetur, quid sit rem *in communi propriam* habere, aut possidere, quosque isthac habeant effectus.

SE-

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Innoc. XI. 37ma: *Famuli, & famula domestica possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.*

SECTIO V.

De subjecto dominii, sive, qui sint capaces dominii.

PRINCIPIA.

1. Dominii per se capaces sunt omnes homines, etiam infantes, & perpetuò amentes
2. Clerici, tam in communi, quàm seorsum singuli, sunt capaces dominii, tam in bona *patrimonialia*, eaque, quæ hæreditate, industriâ, aliòve honesto modo, ut laici, acquirunt:
3. Quàm in fructus ex beneficiis ecclesiasticis perceptos; quorum acquirunt verum dominium.
4. Ex quibus tamen, quæ congruæ sustentationi supersunt, tenentur expendere in pios usus. Vid. Benedictus XIV. *de syn. diœc.* Lib. 7. Cap. 2.
5. Religiosi, votum paupertatis solenne professi, non sunt quoad privatam personam suam capaces dominii in bona fortunæ.

Ubi explicabitur (1.) Quod sit officium, & quæ potestas superiorum, bona monasterii administrantium. (2.) Quid, & quale peccatum sit in religioso proprietatis vitium. (3.) Quatenus votum paupertatis simplex consistere possit cum dominio, ut fit in Societate JESU.

6. Religiosi Ordines, non mendicantes, gaudent, in communi dominio bonorum, tam mobilium, quàm immobilium,

7. Men-

7. Mendicantium alii obtinuerunt facultatem habendi dominium; alii sunt altissimæ paupertatis cultores.
8. Servi propriè dicti non erant priscis capaces domini.

Heri tamen illis permittebant *peculium*.

9. Vir, & uxor in res communi industriâ partas par obtinent dominium; nisi alicubi statuta particularia illud inæquale reddiderint.

Reliqua de condominio conjugum pendent partim ex consuetudinibus, partim ex statutis locorum singulorum; quæ non sunt ubi vis eadem. Sacerdotem, de his in sacro tribunali interrogatum, convenit non respondere ex tempore, sed priùs vel libros, vel homines peritos, consulere.

10. Filius-familias non habet unà cum parentibus condominium in eorum bona. Quare potest in eis verum, & grave furtum committere.

Hic explicandum, quo sensu leges tribuant liberis, dum vivunt parentes, *quasi-dominium* in bonis parentum.

11. Habere tamen potest *Peculium*: quod triplex est, *Castrense, Quasi castrense, & Paganum*.
12. *Castrense, & Quasi castrense* est pleno jure filii-familias.
13. *Paganum* vel est *profectitium*, vel *adventitium*. *Profectitium* est totum Patris; *adventitii* proprietatis est penès filium-familias, ususfructus penès patrem.

DOGmata.

1. Impii non amittunt per peccata gravia rerum suarum omnium dominium.

2 Non est contra S. Scripturam, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.

ERRORES.

(1) Armacani, negantis, impios, & infideles, esse capaces domini; cui videntur consentire Joannes Wicleff *Art. 15.*, & Hufs *art. 30.* (2.) Ejusdem Wicleff, asserentis, viros ecclesiasticos, & claustra, non posse habere possessiones.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Joannis Wicleff, *roma. Contra S. Scripturam est, quòd viri ecclesiastici habeant possessiones.* Eandem in sententiam coquuntur ejus articuli 31. 32. 33. 36.

Ejusdem 16tus art. *Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus &c.*

Artic. 24tus. *Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, non per mendicitatem.*

SECTIO VI.

De objecto Domini, sive de rebus, quarum haberi possit dominium.

PRÆSCITA.

1. Dominium intelligi potest, vel *hominum*, vel *rerum* externarum,

Cùm servitus non sit, his saltem in regionibus, usitata, paucis tantum describetur conditio servorum juris gentium. & Romani, indagando, quatenus homo hominis dominium acquirere possit, salvo jure naturali, ac divino. Ad detur idea criminis *plagii*. Describetur conditio *hominum propriorum*, vulgò *deren Leib, eigenen* quorum plures sunt per Germaniam. Denique agi poterit de jure in *militem conductitium*, & quatenus sit in commercio.

2, Res

- 2. Res aliæ sunt *profana*, aliæ *sacra*.
- 3. Et quidem res aliæ sunt per se ipsas sacræ; ut Sacramenta, Sacrificia, Doctrina Christiana, Beneficia ecclesiastica; aliæque id genus.
- 4. Aliæ sunt sacræ, quia sunt rebus sacris connexæ;
- 5. Quarum tres sunt classes, aliæ enim dicuntur *antede* connexæ cum rebus sacris; ut jus Patronatus, templa, & vasa consecrata; aliæ, *concomitanter*, ut labor in rerum sacrarum administratione; aliæ *consequenter*, veluti jus percipiendi redditus beneficiorum, qui dantur propter officium sacrum. Item *jus originarium* percipiendi decimas, Fructus tamen beneficiorum, uti & ipsæ decimæ, nec sunt aliquid sacrum, nec cum sacro connexum.
- 6. Quædam *communia* sunt omnium; quædam *publica*; quædam *universitatis*; quædam nullius, pleraque singulorum. §. 3. *Inst. de R. D.*

PRINCIPIA.

- 1. Res Deo consecratæ non sunt in dominio *privatorum*.
Hoc juris antiqui dogma ad statum hodiernum commodè explicatione temperabitur: ex quo constet templa, oratoria, horumque utensilia, esse in dominio certorum Collegiorum, imò & sæpe privatorum.
Hic etiam occasio erit agendi de decimis, quæ Dei sunt, Deique ministrorum: & dabitur solida doctrina, *quandocumque laici decimas, sub fendi, seu alodii, qualitate detinere, absque periculo salutis, possint, potuerintve, sive ante Concilium Lateranense, sive post illud.*
- 2. Nemo est vitæ, & membrorum suorum Dominus quoad *abusum*,

Jure naturali, & divino prohibita est *Autochiria*, i. e. sui ipsius occisio; uti & membrorum mutilatio frivola.

3. Est tamen quilibet eorum dominus quoad usum, conservationem, & administrationem prudentem.

Propterea potest quis, ut vita servetur, admittere membri alicujus abscissionem, vel si hæc videatur nimis dura, permittere mortem. Licet etiam exponere vitam, & sanitatem, pro Deo, Fide, bono publico.

4. Est pariter quilibet famæ, & honoris sui dominus.

QUÆSTIO.

An hodie jus piscandi in flumine, aut rivo, sit omnibus commune, an salvâ justitiâ patrimoniale.

Quâ occasione, cum agatur de regali fluminum dominio, sermo esse poterit de justitiâ teloniorum, vectigalium, aliarumque exactionum: ubi non favendum defraudationibus.

SECTIO VII.

De Titulis, sive modis acquirendi dominium.

PRÆSCITA.

1. Titulus alius est *primævus*, qui non postulat ante se alium titulum; cujusmodi sunt occupatio, divisio, alique; de quibus statim.

2. Alius *non primævus*, sive *derivativus*, qui postulat ante se alium titulum.

E.g. Donatio; donare enim non potes, nisi quod alio ex titulo tuum sit.

3. Titulus primævus alius est ex designatione naturæ, alius ex jure gentium; alius ex propria industria, isque varius.

U

4. Ti-

4. Titulorum non primævorum alii descendunt ex jure naturali, & gentium; alii ex jure civili.

§. I. *De Titulo primævo ex designatione naturæ.*

1. Titulus ex designatione naturæ ortus res illas spectat, quas natura statim ipso in ortu addicit singulis hominibus, velut ad felicitatem singulorum pertinentes. Veluti sunt corporis, & animi facultates, sanitas, vita &c.
2. Huc pertinent, quæ dicta sunt *sect. præc. princ. 2. 3. 4.*

§. II. *De Titulo primævo ex jure gentium, Nempe de divisione rerum.*

1. Principio generis humani erant omnia communia, sicut naturâ nihil privatam.
2. Post, crescente paulatim mortalium numero, facta bonorum divisio: ex qua suum cujusque proprium fiebat eorum, quæ naturâ fuerant communia.

DOGMATA.

1. Lex Christiana nusquam prohibet Christi fidelibus proprietatem bonorum.
2. Bonorum communio, quæ Hierosolymis fuit inter primos Christianos, non erat præcepta, sed voluntaria.

3. Dicitur multò magis sine obsceno errore non potest, debere inter Christianos, ut cætera omnia, ita & uxores esse communes.

Imperat tamen Lex Christi, ut opulentiores ex opibus sibi superfluis succurrant indigentibus. Hic de obligatione largiendi eleemosynas.

ERRORES.

(1) Faustini, Platonis, & Socratis, Ethnicorum, item Carpocratis, Epiphani, & aliorum hæreticorum, de quibus S. Epiphanius *Hæresi 32*, contendunt, primævam communionem bonorum debere restitui, & amicorum oportere omnia esse communia, etiam uxores. (2) Apostolicorum, qui se hoc nomine arrogantissimè vocaverunt, eò quòd in suam communionem non acciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes; rati, nullam spem habere eos, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent; ut refert S. Augustinus *Lib. ad Quod vult Deum Cap. 40*. (3) Eorum, qui defendebant, Christum, & Apostolos nihil possedisse proprium: quam opinionem damnavit Joann. XXII. Extrav. un. *Cap. 4. & 5. de V. S.*

PROPOSITIO DAMNATA

Ab Innoc. XI. 12ma. *Vix in secularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statum; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIUNCULÆ.

1. An primæva bonorum communitio fuerit *positiva*, an *negativa* tantum.

2. Quo tempore sit verisimile, fuisse ab hac communitate discessum per terrarum divisionem; utrùm etiam ante diluvium.

Post diluvium factam aliquam terræ divisionem, legimus *Gen. 10. & 11*. Post hanc factas rursus constat varias populorum migrationes, vel ad occupanda spatia terrarum hætenus vacua, vel ad regiones, ab aliis jam occupatas, bel-

lo expugnandas ; nominatim Populi Israëlis migrationem ex Ægypto ad terram Chanaan expugnandam, & forte inter tribus non modo, sed inter privatos etiam, dividendam, legimus *Lib. Num. & Josue. De Gentium migrationibus* eruditè scribit Wolffgangus Lazius.

3. Quomodo intelligendum illud S. Clementis Can. 2. XII. Q. 1. *Per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud ; & sic inter mortales facta divisio.*

4. An post gentes discretas, ac regna divisa, gens una, aut migrando de sedibus propriis, aut potentiam suam extendendo, illibato gentium jure, occupare possit gentium aliarum sedes. E. g. Americam.

5. An loca terræ adhuc vacua, & incognita, sint etiamnum hodie communia.

§. III. De Titulis primævis ex industria.

Tituli ex industriâ humanâ orti, qui præcipuè considerantur à Theologo, sunt ; 1. *Occupatio* 2. *Inventio*. 3. *Specificatio*. 4. *Confusio*. 5. *Commixtio*. 6. *Edificatio*. 7. *Plantatio*, & *Satio*. 8. *Victoria*. 9. *Translatio*.

I. De Occupatione.

PRINCIPIA.

1. Quod ante nullius est, & fieri alicujus potest, id naturali ratione occupanti conceditur. §. 12. *Inst. de R. D.*
2. Si rem, pro derelicto à domino habitam, occupaverit quis, statim ejus dominus efficitur. *Ibid.* § 47.
3. Pro derelicto habetur, quod dominus eâ mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit. *Ibid.*
4. Alia

4. Alia causa est earum rerum, quæ in tempestate le-
vandæ navis causâ ejiciuntur. Hæc enim domino-
rum permanent. *Ibid.* §. 48.

Uoide rebus naufragii, & excommunicatione bullæ Cœnæ.

5. Occupationis species sunt venatio, piscatio, & au-
cupium.

6. Bestiæ aliæ sunt feræ, aliæ domesticæ.

7. Animalium naturâ ferorum quædam domi habentur
ita mansueta, ut exire & redire soleant.

8. Feræ bestiæ, & volucres, & pisces, simul atque ab ali-
quo capta fuerint, statim ejus esse incipiunt. *Ibid.*
§. 12.

9. Quidquid autem eorum cœperis, eò usque tuum esse
intelligitur, donec tuâ custodiâ cœrceatur. *Ibid.*

10. Cum verò tuam evaserit custodiam, & in liberta-
tem naturalem se receperit, tuum esse desinit, & rur-
sus fit occupantis *ibid.* & §. 13.

11. In animalibus naturâ feris, quæ ex consuetudine abi-
re & redire solent, talis regula comprobata est, ut
eò usque tua esse intelligantur, donec animum rever-
tendi habeant. *Ibid.* §. 15.

12. Fera natura est apium, pavonum, & columbarum,
Ibid. §. 14. & §. 15.

De columbis tamen aliud censetur ex quorundam loco-
rum consuetudine.

13. Animalia domestica, e. g. gallinæ, & anseres, si ali-
quo modo avolaverint, quocunque loco sint, tua
esse

esse intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur. *Ibid.* § 16.

14. Quæ ex animalibus, tuo dominio subiectis, nata sunt, eodem jure tibi acquiruntur.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An privativæ venationes, seu Principum, seu privatorum, repugnent menti Creatoris, tanquàm qui feras pauperum communi usui destinaverit.

2. An si venatio omnibus de populo communiter competat, Princeps, vel Dynasta, per viam legis prohibentis, eam sibi soli reservare possit.

3. An fera, in loco prohibito capta, fiat capientis, an domini, in cujus finibus venatoriis capitur.

4. Ingrediens, & usurpans venationem alienam, an, & quò usque, ad restitutionem faciendam teneatur.

5. An fieri-petæ peccent, tum per se, tum per accidens, justè-que pœnis gravibus, etiam mortis, affici possint.

Relictis hic principiis juris Romani antiqui, statuentur alia, ad Germaniæ usum & statum accommodata: quo venatio, piscatio, & aucupium, plerique in locis non sunt merè prohibita; sed sunt etiam verè in *patrimonio* Principum, dynastarum, imò privatorum nonnullorum, qui alios non tam privaverunt jure venationis, quàm eos non admiserunt in participationem.

6. An bona vacantia possint à privatis occupari salvâ conscientia, si fiscus ea occupare negligat.

II. *De Inventione.*

Inventio alia est rei, quæ antè nullius unquam fuerit; alia rei alienæ; alia thesauri.

De

De inventione rei, quæ nullius unquam fuerit.

PRINCIPIA.

1. Lapilli, & gemmæ, & cætera, quæ in litore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt. §. 18. *Inst. de R. D.*

Idem sentiendum de aliis ejusmodi rebus, ubicunque reperiantur.

2. Si plures rem eandem invenerint; fit ejus, qui primò occupaverit.

QUÆSTIO.

Utrum venæ metallicæ, ut auri, argenti, & similiarum, cenferi debeant in nullius dominio, sicutque invenientis, & occupantis.

De inventione rei aliene.

PRINCIPIA.

1. Qui alienum quid jacens lucri faciendi causâ sustulit, furti obstringitur, sive scit, sive ignoraverit. l. 43. §. 4. ff. de Furt.
2. Si non fuit derelictum, inventor putavit tamen derelictum, furti non tenetur. *leg. cit.* Consentit D. Thom. 2. 2. Q. 66. Art. 5. ad 2.
3. Si neque fuit, neque putavit, jacens tamen tulit, non ut lucraretur, sed redditurus ei, cujus fuit, non tenetur furti. *leg. ead.* §. 6. Et D. Thom. *ibid.*
4. Ostendunt, non furandi animo se sustulisse jacens, qui libellum proponunt, continentem invenisse, & reddituros ei, qui desideraverit.

§. Qui

- 5. Qui inventor *ευρητα*, id est, inventionis præmia, petit, non facit furtum, et si non probè petat.
- 6. Si quid invenisti, & non restituiſti, rapuiſti. *S. Aug.*

PROBLEMATA.

- 1. An inventor rei alienæ post frustra inquisitum diligenter ejus dominum, possit eam sibi retinere, an verò debeat dare pauperibus.
- 2. An possit rem talem usucapere.

De inventione thesauri.

PRINCIPIA.

- 1. Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat. *l. 31. §. 1. ff. de A. R. D.* vel sunt condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia. *leg. un. C. de Theaur.*
- 2. Si quis aliquid, vel lucri causâ, vel metûs, & custodiæ, condiderit, non est thesaurus. *l. 31. cit.*
- 3. Thesaurus legibus est donum fortunæ, & beneficium Dei.
- 4. Thesauros, quos quis in loco suo invenerit, D. Hadrianus, naturalem æquitatem secutus, ei concessit, qui invenerit. *§. 39. Inst. de R. D.* Idem statuit, si quis in sacro, aut religioso loco, fortuito casu invenerit.
- 5. At, si quis in alieno loco, non datâ ad hæc operâ, sed fortuito, invenerit, dimidium domino soli concessit, & dimidium inventori, *Ibid.*

6. Si

6. Si in alieno solo, datâ operâ, invitis dominis, thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur. *l. un. C. de Theaur.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

- 1. An Princeps possit jus in thesauros numerare inter regalla.
- 2. An in alieno solo reperiens thesaurum fortuito, nesciente id domino, queat in foro conscientia sibi totum retinere tacens.
- 3. An datâ operâ scrutatus, & inveniens thesaurum in alieno solo, invitis dominis, teneatur ante sententiam judicis totum dominis reddere.
- 4. An liceat pretio solito emere fundum, in quo quis sciat latere thesaurum.
- 5. An thesaurus, magicis artibus repertus, reddendus sit fisco ante sententiam judicis.

III. De specificatione.

PRINCIPIA.

- 1. Quod ex re nostrâ sit, nostrum esse verius est. *l. 12. §. 3. ff. Ad exhib.*
- 2. Qui ex re aliena, cum sciret esse alienam, speciem fecit, non sibi, sed alteri fecit. *leg. cit.*
- 3. Si ignorans esse alienam, ex ea speciem fecit; si ea species ad priorem, & rudem materiam reduci possit (ut ecce vas conflatum potest ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri, reduci) placuit, eum videri dominum esse, qui materiae dominus fuerit. *§. 25. de R. D.*

4. Si non possit reduci, eum potius intelligi dominum, qui fecerit. *Ibid.*

Jure tamen in primo exemplo is, qui fecit, operæ, in altero dominus, materiæ, repetet æstimationem.

5. Quodsi partim ex sua materiæ, partim ex aliena, speciem aliquam fecerit, dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum, qui fecerit. *Inst. ibid.*

Salvâ tamen iterum priori pro parte domino suæ materiæ æstimatione.

6. Si alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit, licet hæc sit pretiosior, tamen accessionis vice cedit vestimento *ibid.* §. 26.

Qui dominus fuit purpuræ, adversus eum, qui surripuit, habet furti actionem.

IV. De confusione, & commixtione.

Confundi dicuntur, quæ mixta in unum corpus continuum cœcunt, ut fit in liquoribus mixtis, & metallis conflatis: *commisceri* autem ea, quorum manent distincta corpora; quamvis non possint amplius secerni, ut fit in frumento.

PRINCIPIA.

1. Si, vel ex voluntate dominorum, vel fortuitò confusæ fuerint duorum, vel ejusdem generis materiæ, vel diversæ, totum id corpus, quod ex confusione fit, utriusque commune est. §. 27. *eod.*
2. Si duorum materiæ voluntate utriusque commixtæ sunt, fiunt communes. *Ibid.* §. 28.

3. Quodsi

3. Quod si casu, vel sine alterius voluntate, mixta fuerint, non fiunt communes. *Ibid.*
4. Sed, si ab alterutro retineatur totum, in rem actio, pro modo materiae cujusque, competit. *Ibid.*

V. De Aedificatione, Plantatione, Satione.

1. Omne, quod solo inaedificatur, solo cedit. *Ibidem* §. 29.
2. Cum in suo solo aliquis ex aliena materia aedificaverit, ipse intelligitur dominus aedificii. *Ibid.*
3. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, desinit dominus ejus esse; quamvis tantisper neque vindicare eam, nec ad exhibendum de ea re agere, possit; sed habeat tantum actionem in duplum. *Ibid.*
4. Aedificio ex aliqua causa diruto, poterit materiae dominus, si non fuerit duplum jam consecutus, eam vindicare, & ad exhibendum de ea agere. *Ibid.*
5. Si quis in alieno solo ex sua materia domum aedificaverit, illius fit domus, cujus solum est. *Ibid.* §. 30.
6. Quod sciens si fecerit, materiae proprietatem amittit. *Ibid.*
7. Si bona fide possederit, qui aedificavit, & dominus post comparens petat domum suam esse, nec solvat pretium materiae, & mercedes fabrorum, potest per exceptionem doli mali repelli. *Ibid.*

8. Planta solo cedit, in quo radices egerit. *Ibid.* §. 31.
 9. Prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit. *Ibid.*
 10. Quâ ratione plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt; eâdem ratione frumentâ quoque, quæ fata sunt. *Ibid.* §. 22.
 11. Literæ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis inædificantur, aut inferuntur. *Ibid.* §. 33.
 12. Tabula verò cedit picturæ. *Ibid.* §. 34.

Poterit tamen in superioribus casibus is, qui proprietatem petit, à bonæ fidei possessore per exceptionem doli mali repelli; si alter impensas sementis, & scripturæ, non sit paratus solvere. Debet item, qui picturam petit, pretium tabellæ; qui tabulam petit, impensas picturæ, solvere, aut à bonæ fidei possessore per eandem exceptionem repellitur. *Inst. l. cit.*

VI. De Victoria.

Sermo tantum est de victoria *in bello justo.*

1. Bellum, ut justum sit, debet esse ingerente auctoritas, in causâ belli *justitia*, in belli gerendi modo *aquitas*.
2. Belli inferendi auctoritas est penes Principes, & respublicas, nullum in terris superiorem agnoscentes.

An, & quale belli inferendi jus competat S. R. I. Principibus, & Statibus, ad jus publicum potius, quàm Theologiam, pertinet.

3. Belli defensivi, quo vis armata injusta armis repellitur, jus etiam privatis in lege naturæ competit; *cum moderatâ tamen, & inculpata tutelâ.*

4. Causæ justæ belli sunt (1.) Necessitas boni communis, & quietis publicæ conservandæ; (2.) Recuperatio injustè ablatorum; (3.) Injuriarum gravium à gente alia illatarum ultio; (4.) Si societatis humanæ, & gentium jus, violatum vindicetur; (5.) Coërcitio rebellium; (6.) Defensio sociorum, aut innocentium oppugnantorum.

5 Princeps bellum illaturus debet omni priùs diligentia dare operam, ut certus sit de ejus justitia, & causâ gravi.

6. Si perspectâ causæ justitiâ gens lædens condignam læsæ satisfactionem offerat, non licet inchoare bellum, nec cœptum continuare.

7. Ut æquus sit belli gerendi modus, debet primò adesse recta intentio, non odium, sed amor boni communis: 2dò in bello offendente vindicta competens, in defendente moderata tutela: 3tò animus ad pacem comparatus. *Bellum geritur, ut pax acquiratur.* S. Aug.

8. Bellum justum gerenti licet in hostem facere omnia, quæ sunt ad finem ejus consequendum necessaria. Hinc

9. Licet in tali bello nocentes, id est, arma moventes, accidere.

10. Non verò *per se* licet occidere *innocentes*, ut mulieres, pueros, cives, rusticos, aliòsque armis non utentes, aut positis armis se dedentes.

11. Licet à republicâ lædente non tantùm extorquere reparationem illatorum damnorum, & injuriarum, impensarumque in bellum factarum compensationem, sed etiam aliquid, pœnæ nomine, ob illatam injuriam, & ad enervandas injustè bellum gerentis ad deinceps nocendum vires.

12 Hinc licet victos private bonis, imperare eis tributa, damna inferre.

13. Fides hostibus, etiam subditis rebellibus, data, servanda est; nisi fidem ipsi priores fregerint.

14. Etiam cum hostibus infidelibus, & hæreticis, licet pacem, fœdera, & pacta perpetua, inire; & inita sanctè sunt custodienda.

DOGMA.

Bella justa nec sunt univèrsè, nec singulatim, populis Christianis prohibita.

ERRORES.

Manichæorum, qui teste S. Augustino bellum univèrsè damnabant. Oecolampadii, Cornelii Agrippæ, Erasini, negantium, licere Christianis inter se bella gerere.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An esse possit bellum utrimque justum.
2. An liceat bellum inferre cum justitia causæ dubiæ, vel merè probabili; præsertim cum possessio stat à parte alterâ.
3. An metus crescentis potentiæ, aut æquilibrii amittendi, sit justa causa belli inferendi.
4. An justitia belli postulet, ut præmoneatur pacificè pars altera, & bellum denunciatur priùs, quàm geratur.
5. An in bello liceat arma, annonam, fontes, veneno inficere.
6. An uti stratagematis, aut hostis vitam non aperto Marte, sed per emissarios, & insidias, aggredi.
7. An liceat templa diripere, incendere, diruere.
8. An detur aliquando vindicta infinita in hostem.
9. An liceat Principi Christiano cum infideli fœdera jungere contra Christianum, ejusque copiis auxiliariibus uti.
10. An Ecclesia rectè imploret arma principum contra assultus hæreticorum.
11. An clericis aliquando liceat militare.

De dominio rerum in bello captarum.

1. In bello injusto non acquiritur rerum hosti creptarum

rum dominium; sed potius damna omnia illata sunt reparanda.

2. In bello justo verò, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt. §. 17. *Inst. de R. D.*
3. Liberi homines bello capti priscis temporibus in servitute capientis deducebantur. *Ibid.*
4. Quanquam religioni Christianæ non repugnet Christianos servos efficere: servitutis tamen mos jam à sæculo XII. inter Christianos est abolitus. Sed capti, vel lytro redimuntur, vel cum captis utrimque commutantur.
5. Quæ ducès, aut milites, in justo etiam bello, non auctoritate principis, sed propriâ, furantur, rapiunt, extorquent, in solo hostico, non fiunt eorum, sed sunt mera furta.

QUÆSTIONES.

1. An res, Ecclesiis bello creptæ, & illata illis damna, debeant à victore restitui, & reparari.
2. An, quæ in hostico deprehenduntur, hostium verò non sunt, capere liceat.

VII. De Traditione.

1. Traditio est possessionis datio, seu rei de manu in manum translatio.
2. Per traditionem quoque jure naturali res nobis acquiruntur. §. 40. *Inst. de R. D.*
3. Non nudis pactis, sed traditionibus, dominia transferuntur.
4. An

4. Vice versâ, nunquam nuda traditio transfert dominium; sed itâ, si venditio, aut alia justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. *l. 31. ff. de A. R. D.*
5. Venditæ verò res, & traditæ, non aliter emptori acquiruntur, quàm si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit; vel, si is, qui vendidit, fidem emptoris securus sit. *§. 42. Inst. de R. D.*
6. Nihil autem interest, utrùm ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate ejus alius: *Ibid. §. 42.*
7. Aut, utrùm traditio vera sit, an ficta. *§. 44. & seqq.*

§. IV. De titulis non primævis.

Res, quæ prius alio ex titulo fuerunt alterius, fiunt nostræ, vel ex consensu prioris domini, vel sinè ipsius consensu.

Primum fit per certa quædam pacta (nam constat, non per quælibet pacta transferri dominia) alterum usucapione.

De usucapione infra, hîc

I. De Pactis, & contractibus.

PRÆSCITA.

1. *Conventionis* verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi, transigendique, causâ consentiunt, qui inter se agunt. *l. 1. §. 3. ff. de Pact.*

Nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur, & veniunt: ita &, qui ex diversis

sis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. *l. cit.*

2. Adeo autem *conventionis* nomen generale est, ut nullus sit contractus, nulla obligatio, quæ non habeat in se conventionem. *Ibid.*
3. Conventionum aliæ in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, in pignus, in stipulationem. *Ibid. §. 4. Et l. 7. §. 1. eod.* Aliæ stant in nomine generali conventionis.
4. Quæ sic stant, & in *proprium nomen* non transeunt, *Pacta* vocantur, à *pactione*. Et est pactio duorum, pluriumve, in idem placitum consensus. *l. 1. §. 2. ff. h. t.*
5. Nuda sunt, & dicuntur, in LL. *pacta*, quæ nec *legis speciale auxilium*, nec *nomen* habent, neque *causam*.

Cùm legibus comprobatur *conventio*, *legitima* potiùs dicitur, quàm *pactum vestitum*. *Formare* quoque contractum, cui adjicitur, veriùs, quàm *ab eo vestiri*.

6. Quæ conventiones transeunt in *singulare nomen*, aut certè, ubi *nominis defectum causa* supplet, *contractus* appellantur.

Causa hic est *datio*, & *factum*, quæ duo quadruplici combinatione conficiunt *quatuer contractus innominatos*: nempe. *Do. ut des. Facio, ut facias. Do, ut facias. Facio, ut des.* Quibus opponuntur *nominati*, ut emptio venditio, locatio conductio, societas, commodatum &c.

7. *Pacta* alia sunt *expressa*, alia *tacita*, quæ sive ex factis, sive ex verbis aliis, per legitimam consequentiam inferuntur.

Monebuntur discentes, quid requiratur, ut aliquid tacite pactum, dictum, concessumque intelligi possit: multi enim nimis faciles sunt in effingendis pactis, licentiis, aut concessionibus tacitis.

8. Contractus alii sunt *veri*: alii *Quasi contractus*, in quibus autoritas legis præstat voluntatem hominis.

Quasi-contractus sunt e. g. negotiorum gestio, tutela, hereditatis aditio, rerum communitio, indebiti solutio, litis contestatio. Vide *Inst. tit. de obligat. que quasi ex contract.*

9. Alii sunt *bonæ fidei*, ut depositum; alii *stricti juris*, ut mutuum.

10. Rursus alii *naturâ suâ gratuiti*; ut mutuum, commodatum, precarium, mandatum; alii *onerosi*, ut emptio, locatio.

11. Alii quoque *μονόπλευροι*, quando unus tantum contrahentium; alii *διπλευροι*, quando uterque, obligatur.

12. Alii in unius solius è contrahentibus; alii in utriusque commodum cedunt.

PRINCIPIA.

1. Nihil tam est congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare.

2. Hinc contractus initio est *voluntatis*, post *necessitatis*.

3. Contrahere omnis, & solus, potest, qui habet liberam suarum, vel alienarum, rerum administrationem; & de iis tantum rebus, quarum liberam administrationem habet.

4. Contractus fiunt *re, verbo, literâ, consensu.*

Literarum præcisè obligatio, subtilitate juris Romani inventa, hodie evanuit: nam *probatio* contractuum potius est scriptura, quàm *obligatio*. Quanquam contractus, sive ex consensu paciscentium, sive aliquando ex lege, ad sui substantiam desiderare possit scripturam.

5. In contractibus consideranda, & discernenda sunt *Substantialia, Naturalia, Accidentia.*

Solemnia pleraque substantialia sunt, quædam verò accidentalia.

6. Pacta dant legem contractibus, quibus adjiciuntur.

7. Pactis privatorum non tollitur jus publicum.

8. In contractibus bonam fidem servari æquum est.

9. Contractus aut servare æqualitatem debent, aut ad eam reduci.

10. In omnibus contractibus præstatur dolus, & culpa *lata*; in nullo casus.

11. Culpa *levis* in illis, qui utiles sunt utrique contractuentium *Levisima* ab illis, quibus solis prodest contractus.

12. Pacta, & contractus omnes, dissolvuntur liberatione fidei datæ; aliqui, non omnes, mutuo consensu, aut condonatione ejus, cui obligaris.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An, & quousque contractum vitiet error;

2. Fraus, & dolus;

3. Metus injustè incussus, sive, ut jura loquuntur, *metus justus*.

4. An, & quando, resillire uni liceat, invitâ parte alterâ.
5. An pacta nuda obstringant conscientiam; quamvis forte actionem non pariant in foro externo.
6. An contractus, de jure nullus, accedente tamen juramento, obliget conscientiam ex justitiâ.
7. An divisio contractuum in *bona fidei*, & *stricti juris*, habeat quoque locum in Theologia.
8. An culpa merè juridica à contrahente sit in foro animæ præstanda.
9. An obligatus *ad factum* liberet se, præstando *interesse*, pro dicto foro.

II. De Donatione.

1. Donatio est *liberalis rei, vel juris sui, in alium translatio*.
2. Alia est *inter vivos*, alia *mortis causa*.

PRINCIPIA.

1. Donatio, solo verbo facta, sine traditione, non transfert dominium.
2. Nec donatio non acceptata, sive nuda *pollicitatio*.
3. Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.
4. Nemo præsumitur res suas jactare, & donare.
5. Ignorans non censetur donare.
6. Donationes inter vivos, semel perfectæ, revocari non, nisi quibusdam gravibus ex causis, possunt.
7. Donationes mortis causâ revocabiles sunt ad libitum, instar cœterarum ultimarum voluntatum.
8. Qui prohibetur testamentum facere, prohibetur etiam donare mortis causâ.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An, & quatenus, valeant donationes inter sponfos; maritum, & uxorem; parentes, & liberos.
2. An

2. An, & quantum, maritus, vel uxor, donare possint suis consanguineis, vel aliis extraneis.

3. An donate possit superior religiosus ex bonis sui cœnobii; religiosus item parochus, vel curatus.

4. An donatio liberalis excedens 500 solidos, judici non infirmitate, sit nulla etiam in foro conscientię.

III. De Emptione, Venditione.

PRINCIPIA.

1. Vendere rem carius, aut emere vilius, quàm valeat, est per se illicitum, & injustum, S. Thom. 2. 2. Q. 77. Art. 1.

2. Per accidens potest esse licitum, secundùm quod empti venditio cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius. *Idem ibid. in C.*

3. Lex humana quidem dissimulat (non tamen probat) inæqualitatem, nisi læsio sit ultra dimidium: sed lex divina hoc non relinquit impunitum. *Ibid. ad 1.*

4. Et tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum. *Ibid.*

5. Modica verò additio, vel minutio, non videtur tollere æqualitatem justitię; quia justum pretium non est *punctualiter* determinatum, sed magis *in quadam æstimatione* consistit. *Ibid.*

Pretium justum quippe non est individuum, sed habet suos gradus. Aliud enim est *summum*, aliud *medium*, aliud *infimum*; quorum quodlibet sit justum. In æstimatione item pretii

pretii iusti non est habenda ratio solius *mercis* in se, sed *loci* etiam, & *temporis*, quo venditur: quædam enim alio loco, aut alio tempore, sunt cariora, alio viliora.

6. Qui scienter vendit speciem pro specie, e. g. aurum per alchimiam sophisticatum pro vero; aut pondere, mensurâve non justâ; aut rem vitio occulto laborantem, non solum peccat, injustam venditionem faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur, S. Thom. 2. 2. *Q. ead. Art. 2. in C.*
7. Si verò eo ignorante aliquis prædictorum defectuum in re vendita fuerit, venditor quidem non peccat: tenetur tamen, cum ad ejus notitiam pervenerit, damnum recompenfare emptori. *Ibid.*
8. Et quod dictum est de venditore, etiam intelligendum est ex parte emptoris; sicut si aliquis aurum emat loco aurichalco. *Ibid.*
9. In unoquoque loco ad rectores civitatis pertinet determinare, quæ sunt justæ mensuræ rerum venalium. Has mensuras, publicâ auctoritate, vel consuetudine, institutas, præterire non licet. *Ibid. ad 2. C. Deut. 25. a v. 13.*
10. Vitia eorum, quæ veniunt, prodi jubentur; ac nisi intimaverit venditor, quamvis in jus emptoris transferint, doli actione vacuantur. S. Ambr. *Lib. 2. de offic. Cap. 10.* & S. Thom. *Q. ead. Art. 3.*
11. Negotiando aliquid carius vendere, quàm emere, non ob solum lucrum, sed ob alium finem, necessarium,

farium, vel honestum, non est illicitum. D. Thom.
ibid. Art. 4.

12. Clericis tamen, & monachis, prohibita est negotiatio; nisi quatenus exercetur ad prospiciendum propriis necessitatibus, Cap. 1. & 6. *Ne clerici, vel monachi.*

§. IV. *De nundinatione rerum sacrarum,
sive de Simonia.*

Quanam, & quot modis, dicantur res sacræ, vel spirituales, expositum est, Sect. VI. hujus Tractatus Præscito 2. 3. 4. 5.

PRÆSCITA.

1. Simonia est *studiosa voluntas emendi, vel vendendi, aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* S. Thom. 2. 2. Q. 100. Art. 1.
2. Munus, sive pretium simoniacum, est triplex: à *linguâ*, à *manu*, ab *obsequio*. I. Q. 3. Can. 8., & S. Thom. Q. 100. Art. 5.
3. Simonia alia dicitur *mentalis*; alia *conventionalis*; alia *realis*; alia *confidentialis*.
4. Alia item *vera*, veluti emere, aut vendere velle pretio temporario Spiritum S., aliâsve res sacras. Alia dicitur *similitudinaria*, & *Quasi-Simoniam*; ut si privatâ auctoritate permutantur beneficia &c.

DOGMATA.

1. Simonia vera est jure naturali, divino, & ecclesiastico, prohibita.
2. Ma-

2. Malitia ejus in his posita est; *primò* quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari.

Act. 8. v. 20.

2do: Quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus. Jam verò sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum DEI, 1. Cor. 4. v. 1.

3tio, quia venditio repugnat spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate DEI proveniunt. *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. D. Thom. *Q. 100. cit. Art. 1. in C.*

ERROR

¶ Simonis Magi, qui *Act. 8. v. 18.* existimavit, se posse pecuniâ oblatâ obtinere potestatem dandi spiritum S. Atque ab isto ago flagitiosa hæc nundinatio nomen *Simonie* accepit. Illi autem, qui vendunt, in actu imitantur Giezi, discipulum Elifæi, de quo legitur *4. Reg. 5.*, quod accepit pecuniam à leproso mundato. S. Thom. *l. c. ad 4.*

PRINCIPIA.

1. Simonia conventionalis, realis, & confidentialis, esse non potest sinè pacto.
2. Ubi non emitur, & venditur (putà vel conventionem, vel actu) non est simonia.
3. Nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. D. Thom. *Q. 100. cit. Art. 1. ad 5.*

4. Qui

4. Qui alterum vendit, sine quo nec alterum provenit,
neutrum inventum relinquit.

5. Solæ mentis præcisiones non purgant simoniam.

Ex his principiis facile concludetur, cur simonia non sit acceptare taxata Missarum stipendia; ex sacro officio percipere beneficium, & similia.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VII. 22da. *Non est contra justitiam, Beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator, conferens illa beneficia pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed velut pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenetur.*

Ab Innoc. XI. 45ta. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, & e contra.*

46ta. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris aestimetur, quàm res spiritualis.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Utrùm Simonia rectè dividatur in simoniam divini, & ecclesiastici juris.

Ubi exponetur, quænam sint propriæ Simonia juris merè ecclesiastici. Et, an in iis dispensare possit Judex ecclesiasticus.

2. Quid propriè sit Simonia mentalis.

3. Utrùm, & quando liceat dare aliquid temporarium ad redimendam circa res sacras vexationem injustam.

4. Cur Simonia dicatur hæresis. Vid. S. Thom. 2. 100. c. 6. Art. 1. Arg. 1. & R.

5. Quæ sint pœnæ in Simoniam constitutz.

V. De mutuo, & usurâ.

PRÆSCITA.

1. *Mutuum* aliquando significat *rem mutuo datam*; aliquando *contractum*, quo res mutuo datur, & accipitur.
2. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ, consistunt: veluti vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ &c. *Princ. Inst. Quib. mod. re contr.*
3. *Mutui, & commodati*, nomen nonnunquam promiscuè usurpantur: reipsâ tamen differunt.
4. In mutuo enim res ad hoc damus, ut accipientium fiant (*ibid.*) cum onere restituendi, non individuum, sed speciem similem, in eodem pondere, numero, mensurâ. Quod phrasi Jctorum dicitur: *Restitui non in specie, sed in genere.*
5. In commodato autem non ita res utenda alteri datur, ut ejus fiat; & ob id de eâ ipsâ re restituendâ tenetur. *Ibid. S. 2.*
6. Tam mutuum, quàm commodatum, est naturâ suâ *gratuitum*.
Alioqui si res tibi utenda data est mercede interveniente, *locatus tibi rei usus videtur. Ibid.*
7. In contractu mutui propriam sedem, & locum habet peccati genus illud, quod *usura* vocatur. *Epist. encyc. Benedicti XIV. ad Episc. Ital. data 1745.*
Kab.

Kal. Nov., iterum impressa Ingolstadii 1751., & in certos §§. distincta.

8. Hoc in eo est repositum, quòd quis *ex ipsomet mutuo*, quod *suapte naturâ tantundem duntaxat reddi postulat*, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quàm est receptum; ideòque ultra sortem lucrum aliquod, *ipsius ratione mutui*, sibi deberi contendat. *Epist. cit. §. 4.*

Hæc *usura* notio, quam Ss. Dominus N., auditis priùs (§. 2. & 3.) Cardinalibus, aliisque, Ss. Theologia, & Ss. Canonum peritissimis, statuit, norma esto, quam tuto sequamur.

DOGMA.

Usuram, sive omne ejusmodi (*Præcit. 8.*) lucrum, quod sortem superet, illicitum, & injustum esse, ex Ss. Scripturis, Pontificum decretis, Conciliorum, & Patrum, auctoritate, liquido constat.

ERROR

Hodiernorum Naturalistarum, qui ferè passim lucrum ex mutuo jure naturali licitum esse docent.

PRINCIPIA.

1. Contra mutui legem, quæ *necessariò in dati*, atque *redditi, æqualitate* versatur, agere convincitur; quisquis eadem æqualitate semel positâ, plus aliquid à quolibet, vi *mutui ipsius*, cui per æqualitatem jam satis est factum, exigere adhuc non veretur. *Epist. cit. §. 6.*

2. Proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius *ex ejus obligatione justitiae*, quam *commutativam* appellant. *Ibid.*
3. Nec refert ad usuræ labem purgandam, sive id lucrum, quod *solius causâ mutui*, deponitur, sit *non excedens*, & *nimum*, sive *moderatum*; sive magnum, sive exiguum; sive à paupere exigatur, sive à divite; sive is ex datâ sibi mutuo summâ lucraturus sit, sive non. *Epist. cit. §. 5.*
4. Per hæc autem non negatur, posse quandoque unâ cum mutui contractu concurrere *quosdam alios titulos*, *naturæ mutui minimè innatos*; ex quibus justa causa confurgat, quiddam amplius supra sortem exigendi. *Ibid. §. 7.*
5. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per *alios* diversæ prorsus naturæ à *mutui naturâ contractus*, rectè collocari, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam &c. *Ibid. §. 8.*
6. Si tamen in ejusmodi quoque contractibus sua cuiusque non servatur æqualitas; quidquid plus justo recipitur, si minùs ad *usuram*, ad aliam certè *veram injustitiam*, restituendi onus pariter efferentem, spectare compertum est. *Ibid. §. 9.*
7. Falsò sibi quisquam, & non nisi temerè persuaderet, reperiri *semper*, ac præstò *ubique esse*, vel unâ cum

mutuo *titulos alios legitimos*, vel secluso mutuo *contractus alios justos*; quorum præsidio, quotiescunque aliquid alteri creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram recipere. *Ibid. §. 10.*

8. Nam multis in casibus tenetur homo *simplici, ac nudo mutuo*, alteri succurrere: & similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli, vero, justoque contractui locus esse potest. *Ibid. §. 21.*

Cuiusmodi contractus iusti si mantellum præteritur, reverà autem nullus subsit, *usura palliata* dicitur.

9. Quisquis igitur suæ conscientiæ consultum velit, inquirat prius diligenter: *verène cum mutuo iustus alius titulus, aut iustus alter à mutuo contractus, occurrat*; quorum beneficio, quod quarit lucrum, omnis labis expers reddatur. *Ibid. §. 12.*

Lucrum, quod ex alio à mutuo contractu iusto, vel in mutuo ex alio iusto titulo occurrente, percipitur, in latiore significatione à *Jctis* vocatur quidem etiam *Usura* nonnunquam; haud tamen est *usura peccatum*. Dominic. Soto de *J. & J. Lib. 6 Q. 1. Art. 1.* Unde usuras dicere licebit alias *justas* (non ex mutuo solo perceptas) alias *injustas* ex solo mutuo dimanantes.

10. Tituli iusti, percipiendi in mutuo aliquid ultra sortem, communiter recensentur hi: *Lucrum cessans, Damnum emergens, Periculum amittendæ sortis.*

11. Con-

11. Contractus justī, diversæ à *mutuo* naturæ, propter quos percipere lucrum liceat, communiter censentur: *Emptio census, Societas, Cambium*: modò retineatur sua cujusque æqualitas, determinata à jure, vel consuetudine legitimâ.
12. *Anatocismus* (id est, usurarum usura,) eodem modo est illicitus.
13. Contractus, hispanicè *Mohatra*, italicè *Stoceo*, dictus; cùm quis vendit rem magno pretio, cum pacto, ut emens ipsi statim revendat minore, est illicitus, & sæpè usura palliata.
14. Vanos accipiendi aliquid ultra sortem titulos exhibent hæ

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VII. 42da. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Ab Innoc. XI. 40ma. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævidito, cum intentione lucri.*

41ma. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

42da. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Ex quo juris naturæ principio optimè demonstretur usurarum turpitude, & injustitia. S. Thom. 2, 2. Q. 78 Art. 1.

2. An, & quò usque, contractus *Antichreseos* possit esse licitus.
3. Quinam contractus alii videri possint labe usurariâ immunes; ubi de montibus pietatis &c
4. Quinam verò suspecti sint, & quinam manifesta usurarum pallia.
5. Quando teneatur quis lege charitatis ad purè, & simpliciter mutuandum.
6. An princeps, aut respublicâ, possit ex dominio alto in puro mutuo, nullo alio titulo, aut contractu interveniente, lucrum aliquod ultra sortem transferre à debitore in mutuantem, & an exstet aliqua lex civilis, quæ id fecerit.
7. Quenam pœnæ sint in usuras constitutæ.

VI. De Usucapione, & Præscriptione.

1. Usucapio est modus acquirendi, jure civili constitutus, quâ quis rei alienæ, ex aliqua justa causa bonâ fide possessæ, post certum tempus fit dominus. *Princ. Inst. h. t. vel Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti.* L. 3. ff. de Usurp.
2. Præscriptio est exceptio, quam priori domino post comparenti opponit is, qui usucapione rem suam fecit.
Passim tamen usucapio, & præscriptio, usurpantur pro synonymis.
3. *Usurpatio* Oratoribus est *usus frequens*, Theologis *injusta rei alienæ possessio*, Jctis *usucapionis interruptio*.
4. *Præscribere* dicimur vel activè, & cum accusativo casu,

casu, ut *prescribere jus venandi &c.* vel neutraliter, & cum dativo, ut *prescribere servituti, actioni &c.*

Ad usucapiendum necessaria.

1. Necessarius est *Titulus* non merè *existimatus* (nam error falsæ causæ usucapionem non parit: veluti si quis, cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat. *§. 11. Inst. h. t.*) sed *verus*, saltem in speciem, etsi nullus, quantum ad effectum.

Ut, si quis bonâ fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet, dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliâve justâ causâ, acceperit. *Ibid. princ.*

2. *Bona fides*, sive invincibilis, & inculpata persuasio justæ causæ, aut justæ possessionis. *Ibid.*

3. Rem talem esse oportet; ut in se non habeat vitium, ut à bonæ fidei emptore usucapi possit, vel qui ex alia justâ causâ possidet. *Ibid. §. 1.*

Ejusmodi res vitiosæ sunt: Homo liber; Res sacra, vel religiosa; Servus fugitivus; *l. c. §. 1.* Furtiva, aut vi possessa, *§. 2.* Res Fisci *§. 9.* Res alienari prohibita.

4. Necessaria est rei possessio, &

5. Possessionis tempus lege definitum.

6. Tempus hoc aliud est *breve*, sive triennium, cujus possessione usucapiuntur res mobiles. *Ibid. princ.*

7. Aliud *longum*, id est, inter præsentis *decennium*, inter absentes *viginti anni*; intra quod usucapiuntur res immobiles.

8. Aliud *longissimum*; quale in regula sunt anni triginta, aliquando quadraginta.

9. Aliud *immemoriale*, quod excedit memoriam hominum.

Hujus, & præcedentis, privilegium est, ut opus non sit probare titulum. Ei tamen, cuius commune est contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, nec tempus longissimum, nec bona fides profunt, sine titulo.

10. Ecclesiarum privilegium est, quod contra *Romanam* præscribi non possit, nisi *centum*; contra *alias inferiores*, non nisi *quadraginta* annorum, lapsu.

AXIOMATA.

1. Qui possidere non potest, is neque præscribere.
2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; tam ex jure canonico, *R. J. 2. in 6.*, quàm civili, *S. 3. Inst. h. t.*
3. Oportet, ut, qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. *Cap. fin. h. t.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An præscriptio acquirat dominium etiam in foro conscientiæ.
2. An malæ fidei censendus sit, qui laborat ignorantia juris, aut dubio facti.
3. An cum scientia juris alieni possit præscribi servitutibus; an actionibus, & obligationibus.
4. An, & quando, mala fides *authoris* noceat *successori*.
5. An res Ecclesiæ, perperam alienatæ, ullo tempore præscribi possint.
6. An Laici præscribere possint decimas, & decimis.

SECTIO VIII.

De obligationibus, & liberationibus.

Obligationis definitio, & una ejus divisio, data fuit suprâ *Part. II. hujus Tract. Sect. 2. Princ. 9. & 10.* Ulteriora autem huc referuntur sequentia juris

PRINCIPIA.

1. Obligationum substantia non est in eo posita, ut aliquid corpus nostrum, aut servitutem nostram, faciant; sed, ut alium nobis obstringant, ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum. *L. 3. ff. de O. & A.*

Propterea non tribuunt per se *jus in re*, sed *ad rem* duntaxat, nec pariunt *actionem in rem*, sed *in personam*.

2. Impossibilium nulla obligatio est. *l. 185. ff. de R. J.*

Hinc stipulationi, aut cuivis alteri contractui (matrimonio solo excepto) adjuncta quævis conditio impossibilis vitiat, id est, nullum facit. *§. 11. Inst. de inutil. stipul.*

3. Obligationum aliæ *dividuae* sunt: aliæ *individuae*.

4. Omnis obligatio nascitur, aut *ex contractu*, aut *ex quasi contractu*; aut *ex maleficio*, sive delicto, aut *quasi-maleficio*, *§. 2. Inst. de Oblig.*

5. Obligationi contraria est *liberatio*: quæ fit vel *ipso jure*: vel *ope exceptionis*.

Ipso jure fit, solutione, pecuniæ obsignatæ depositione, compensatione, condonatione, acceptilatione, id est, *dum quod ego debeo, dicis te, habere acceptum*, novatione, dum obligatio in novam, delegatione, dum in aliam personam, transfertur. *Inst. Quib. mod. tollit. oblig.* Ope exceptionis liberatio fit pacto nudo, juramento, re judicatâ.

6. Eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur. *§. 4. Inst. eod.*

Nisi contractus sit ejus naturæ, ut semel validus nequeat amplius dissolvi, veluti matrimonium.

§. I.

De obligatione ex contractu, vel quasi.

PRINCIPIA.

1. Non possunt omnes obligari ex contractu.
2. Obligatio ex contractu vel est *pura*, vel *in diem*, vel *sub conditione*, vel *ad certam conditionem*.
3. Obligationes, quæ ex *quasi-contractu* nascuntur, recensentur *Lib. III. Inst. Tit. 28.*

PROBLEMATATA, & QUÆSTIONES.

1. An, & quomodo, obligetur pupillus sine tutore, aut minor sine curatore, authoribus, contrahentes.
2. An exceptio Senatûs-Consulti Macedoniani juvet filiarum familias in foro animæ.
3. An similiter mulierem exceptio S^{cti} Vellejani.
4. An, & qualem obligationem pariant sponsio, & iusus.
5. An ex pacto turpi, cõque ab una parte impleto, nasci possit obligatio.
6. Quomodo Superiores Ecclesiastici sua collegia; Beneficium suos successores, obligare possint.
7. An cedens bonis, aut excussus, si ad meliorem postea fortunam redierit, teneatur in conscientia creditoribus persolvere ea, quorum mansit debitor.

§. II.

De obligationibus ex maleficio, vel quasi.

PRINCIPIA.

1. Maleficii nomine veniunt quælibet facta improba, inhonesta, aut incivilia, quibus læditur humana societas, & damnum inferitur.

2. *Dammum* hic dicitur, quidquid rebus tuis deest, *lucrum*, quidquid eis accedit.

3. Maleficium, sive *delictum*, aliud est *verum*, quod *ex facto proprio*, cum malignitate, culpave, procedit.

Veluti, cum Judex *sciens* male judicet; aut imperitus medicus ægrum occiderit, etiam sine proposito; quia forte perperam ei dedit medicamentum, aut male secuit; aut paterfamilias ipse de coenaculo aliquid in locum publicum effuderit.

4. Aliud est *quasi-delictum*, dum culpa aliena, nostrorum præcipue, in nos reflectitur.

Ut puta, cum paterfamilias tenetur de effuso à domesticis; aut exercitor navis, cauponæ, stabulive, de damno, aut furto, inibi facto per malos homines, quorum usus est operâ. Item Judex *per imperitiam* male judicans; quia videtur esse culpa assessoris, redundans in judicem.

Quasi-delicta possunt aliquando *Theologicè* esse *vera delicta*: ut, cum judex scit, se imperitum esse juris, nec adhibet peritorem Assessorem. Vice versâ *vera delicta* in jure, possunt talia non esse in Theologiâ, si absint requisita peccati.

5. Sicut diligentia alia est *communis*, alia *major*, alia *maxima*: ita opposita his negligentia, sive culpa, alia *lata*, alia *levis*, alia *levissima*.

6. Culpa alia est *theologica*; quæ nos verè coram Deo reos constituit: alia merè *juridica*, quæ cum peccato alio, quàm *civili*, non est conjuncta.

Pari modo culpa, quæ *Jctis* levis, aut levissima est, poterit esse *theologicè* gravis: quando nimirum quodam in negotio diligentia summa requiritur; eaque voluntariò intermittitur.

7. *Dammum* inferri potest in bonis, vel *fortune*, vel *corporis*, vel *animis* vel *honoris*, vel *fame*.

8. In honore, & famâ damnum datur *dicto*, vel *scripto*; in aliis *facto*.
9. Item damnum aliud fit ab ipso met homine; aliud per alios *ipso* mandante, consulente, consentiente, exhortante, recursum præbente, participante, non clamante, non impediente, dum potest; non manifestante.
10. Interdum etiam damnum fit per nostra animalia, quod dicitur *pauperies*, si noceat quadrupes contra naturam.
11. Maleficiorum obligationes unius sunt generis: Nam omnes *ex re* nascuntur, id est, *ex ipso maleficio*, veluti ex furto, rapinâ, damno, injuriâ. *Princ. Inst. de Oblig. qua ex del.*

I. *De furto.*

Furtum est occulta acceptio rei alienae. D. Thom. 2. 2. Q. 66. Art. 3. A Jctis definitur Inst l. c. §. 1. *Contractatio fraudulosa lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus, possessionisve.*

DOGMA.

Furtum est jure divino, & naturali, prohibitum, & semper peccatum.

PRINCIPIA.

1. Furtum necessariò est peccatum ex genere suo mortale. D. Thom. 2. 2. Q. 66. Art. 6. in C.
2. Ob exilitatem materiæ potest sæpè excusari à peccato mortali. *Ibid. ad 3.*
3. Non-

3. Nonnunquam tamen furtum etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale; sicut & in solo cogitatu per consensum. *Ibid.*
4. In necessitate (extremâ) sunt omnia communia, & ita non videtur esse peccatum; si aliquis rem alterius accipiat, propter necessitatem sibi factam communem, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ. D. Thom. *ibid. Art. 7.*

ERROR

Judæorum, ex *Cap. 12. Exodi* perperam concludentium, factam sibi à Deo potestatem, exspoliandi alienigenas.

PROPOSITIO DAMNATA.

Innoc. XI, 36ta, *Permissum est furari, non solum in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.*

QUÆSTIONES.

1. Quænam materiæ, furto ablatae, quantitas videatur sufficere ad peccatum mortale.
2. An, & quando, multa minutiora furta coalescant in unam materiam gravem, & peccatum mortale.

II. *De rapina, damno, injuria,*

1. Rapina est acceptio rei alienæ aperta, & violenta. D. Thom. *Q. 66. cit. Art. 1.*
2. Furtum, & rapina sunt peccata differentia specie. *Ibid.*
3. Damnum hoc loco est, cum res alterius destruitur, nullo illud inferentis lucro
 Ut, cum alterius domus incenditur, segetes vastantur, & similia.

4. Generaliter injuria dicitur omne, quod non jure fit.
Princ. Inst. de Injur.

5. Specialiter aliàs *contumelia*, à contemnendo dicta;
aliàs *culpa*, aliàs *iniquitas*, & *injustitia*. *Ibid.*

6. Injuria autem committitur plurimis modis.

Ut cum quis pugno, aut fustibus, caeditur, si cui convitium factum; si tamen verbo, vel scripto laeta; si cujus pudicitia attentata &c. *Ibid. §. 1.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Innoc. XI. 43tia *Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?*

43ta. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui; ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.*

SECTIO IX.

De Restitutione.

Restitutionis faciendæ Radices sunt *Res accepta, & injusta acceptio.*

De obligatione restituendi ortâ ex *Re* acceptâ jam supra mentio facta. *Part. 2. huj. Tract. sect. 4. §. 1. post Princip. 5.*

§. I.

De Restitutione faciendâ ex injustâ acceptione.

PRINCIPIA.

1. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

S. August.

2. Quate

2. Quare restituere, quod injustè ablatum est, est de necessitate salutis. S. Thom. 2. 2. Q. 62. Art. 2.

3. Qui abstulit, in quo habebas jus, non modò restituet totum, cum fructibus perceptis; sed compensabit etiam damnum emergens, & lucrum cessans.

4. Qui malitiosè impedit, ne consequeris rem, ad quam habebas jus; secundùm æstimationem prudentis restituet; quanti tuâ interfuit.

5. Qui fuit causa principalis efficax furti, restituet primò: eo deficiente restituent, qui fuerunt causæ secundariæ. Hoc restituente, illi liberantur.

Ubi exponetur, quinam, & quo ordine, obstringantur ad restitutionem.

6. Restituendum ei, cui ablatum est, vel hæredibus.

Ubi, quis servandus ordo inter creditores, si non possis satisfacere omnibus.

7. Restituendum, quàm primùm fieri moraliter potest.

8. Fur suis expensis curabit rem furtivam perferri ad dominum.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Innoc. XI. 38va. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtiva, quantumcumque sit magna summa totalis.*

39na. *Qui alium movet, aut inducit, ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

QUÆSTIONES.

1. An, & quando plures, in idem furtum (vel damnum illatum) concurrentes, teneantur singuli in solidum.

2. An

1. An fur debeat etiam restituere fructus industriæ, ex re fur-
tiva perceptos.
3. Quando liceat res malè partas expendere in pauperes, vel
causas pias.
4. An fur, nullâ intercedente sententiâ iudicis, satisfaciât in
foro conscientie, restituendo simplum.
5. Quænam causæ à restitutione excusent.

§. II.

De compensatione damni illati.

De hac valent eadem, quæ dicta sunt §. præc.

QUÆSTIONES.

1. An damnum inferens absque culpa Theologica teneatur
pro foro animæ ad restitutionem.
2. An grave damnum inferens cum peccato levi, debeat sub
pœna peccati gravis restituere totum.

§. III.

De restitutione famæ

1. Fama tribus modis auferri potest: *Falsum dicendo;*
verum dicendo injustè; verum justè dicendo. S.
Thom. 2. 2. Q. 62. Art. 2. ad 2.
2. Qui falsum dixit, tenetur restituere famam, confiten-
do, se falsum dixisse. *Ibid.*
3. Qui verum dixit, sed injustè; putà cùm aliquis prodit
crimen alterius contra ordinem debitum: tenetur
ad restitutionem famæ, quantum potest;
Sinè mendacio tamen; utpote quòd dicat, *se malè dixisse, vel*
quòd injustè eum diffamaverit.
4. Qui verum dixit, & justè, putà cùm aliquis crimen

alterius prodit ordine debito servato; non tenetur ad restitutionem famæ. *Ibid.*

5. Imò, quando peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam, corporalem, seu spiritualement, tenetur homo ad denuntiationem, & quandoque etiam ad accusationem; dummodo sufficienter possit probare. S. Thom. 2. 2. Q. 33 Art. 7. & Q. 68. Art. 1.

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexand. VIII. 5ta. *Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.*

QUÆSTIONES.

1. An, quibus, & quâ ex causâ, liceat aliquando occulta aliorum peccata revelare.
2. Quando detractio sit peccatum mortale.
3. Quando cesset obligatio restituendæ famæ.

§. IV.

Quid restituendum pro injuriis aliis.

1. Vita, membra, pudicitia, aliâque id genus altioris ordinis bona, æstimationem non habent.
2. Hinc pro nece, mutilatione, stupro violento, aliisque ejusmodi injuriis, per se nihil restitui ex fortunæ bonis necesse est.
3. Damna tamen, ex his injuriis manantia, & lucra cessantia, compensari injuriam passo, vel ejus hæredi, debent.

SECTIO X.

*De defensione jurium, tam intra, quàm extra
judicium.*

§. I.

De persecutione juris in judicio.

PRINCIPIA.

1. Licitum est cuivis, persequi jus suum in judicio; modo solius *causæ* inimicus sit, non *personæ* adversarii.
2. Licet *jus verè probabile* experiri in judicio, quamvis dubius judicetur litis eventus.
3. Judex tenetur ex justitia pronuntiare pro ea parte, pro qua stat *major juris probabilitas*.
4. Quando partium *jura* utrimque sunt *equè probabilia*, non licet judici pecuniam accipere, ut ferat sententiam in favorem unius, præ alio.
5. Nec licet etiam ei pro sententia justa ferenda accipere munera.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VIII. 5ta *Quando litigantes habent pro se opiniones equè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Ab Innoc. XI. 2da. *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. An judex *in causis civilibus* reum, juxta allegata, & probata, nocentem, quem privatâ tamen scientiâ sciat esse innocentem, possit condemnare.

2. An etiam in *criminalibus*, cum de capite, vel membro amittendo agitur,

Cetera de obligationibus iudicis, actoris, rei, advocati, testium, relinquuntur Theologiae morali.

Aktionen quae cuilibet causae competant; Jctorum potius, quam Theologorum, est expendere.

§. II.

De defensione vitae extra iudicium.

PRINCIPIA.

1. Secundum jura vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatae tutelae. D. Thom. 2. 2. Q. 64. Art. 7. in C.
2. Cum quo moderamine si fiat, licet privato iniquum vitae invasorem occidere; modò non intendatur directò mors alterius, sed conservatio vitae propriae. *Ibid.*
3. Eodem modo licet agere adversus iniquum invasorem vitae alienae.
4. Si verò aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majore violentiâ, quàm oporteat, erit illicitum. *Ibid.*
5. Ad mortem justè condemnato non licet occidere ministros justitiae: uti nec licet capiendo interficere satellites, ad se comprehendendum missos; nec capto custodes carceris.
6. Licet eis tamen sibi consulere fugâ, & asylo.

Ubi

Ubi paucis dici aliquid poterit de antiquitate, sanctitate, & privilegio Asylorum. Uberior tamen hujus materiae discussio relinquetur Theologiae morali, & Juri canonico. monebuntur auditores; quod scriptores tam Theologi, quam Canonistae, qui de hac materia scripsere ante Constitutionem Benedicti XIII. *Ex quo*, editam anno 1725. 6to Idus Junii, sint ad hujus novae Constitutionis normam exigendi.

7. Non licet innocentem occidere directò ad defensionem suam, vel reipublicae.

QUAESTIONES.

1. Utrum inculpata tutela aliquando exigat fugam.
2. An, qui certò confidere potest, se esse in statu gratiae, iniquum invasorem verò scit esse in peccato gravi, debeat suam occisionem potius permittere; ne alter aeternum pereat.

§. III.

*De defensione bonorum fortuna, & pudicitiae,
& honoris.*

PRINCIPIA.

1. Licet occidere furem, molientem tibi eripere rem gravis momenti, si illa aliter servari, aut recuperari non possit in continenti.
2. Non tamen licet occidere conantem impedire, quò minus rem aliquam consequaris; quamvis ad illam jus habeas.
3. Licet etiam occidere invasorem pudicitiae, si violentia aliter declinari non possit.
4. Honorem solum calumniâ, vel contumeliâ, laedere parantem non licet interficere, §. in-

5. Injuriam jam illatam non licet privato ulcisci morte,
vel alio quovis vindictæ genere.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Innoc. XI. 31ma. *Regulariter occidere possum furem pro
conservatione unius aurei.*

32da. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, qua
actu possidemus, sed etiam, ad qua jus inchoatum haberemus, & qua
nos possessuros speramus.*

33tia. *Licitum est, tam hæredi, quàm legatario, contra injustè im-
pedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se ali-
ter defendere, sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam, con-
tra earum possessionem injustè impediens.*

Ab Alexand. VII. 17ma. *Est licitum religioso, vel clerico, ca-
lamniatorem, gravia crimina de se, vel de sua religione, spargere
minantem, occidere; quando alius modus defendendi non suppetit;
viri suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi reli-
gioso, vel ejus religioni, publicè, & coram gravissimis viris prædicta
impingere, nisi occidatur.*

18va. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac eti-
am judicem, à quo iniqua certo imminet sententia; si alià viâ non
potest innocens damnnum vitare.*

Ab Innoc. XI. 30ma. *Fas est viro honorato occidere in vaso-
rem, qui nititur calumniam inferre; si aliter hæc ignominia vitari
nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste
percutiat; & post impactam alapam, vel ielum, fugiat.*

34ta. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella
deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

Ab Alexand. VIII. 19na. *Non peccat maritus, occidens propriâ
auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

1. Duellum nec est idoneus, nec licitus, honorem, suâque defendendi, modus.
2. Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur. *Trid. sess. 25. de Ref. Cap. 19.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VII. 2da. *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

S. D. N. Benedictus XIV. Constitutione, *Detestabilem*, Anno 1752. quarto idus Novembris editâ, damnavit has quinque propositiones.

1. *Vir militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus, haberetur, ideoque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debite, ac promerite spe perpetuò carere debet, culpâ, & pœnâ vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

2. *Excusari possunt etiam, honoris tuendi, vel humana vilipensionis vitandæ gratiâ, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes; quando certo sciunt, pugnam non esse secururam, utpote ab aliis impediendam*

3. *Non incurrit ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, dux, vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metû amissionis famæ, vel officii.*

4. *Licetum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum, ad conservandas cum honore fortunas; quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

5. *Afferta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinata: in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.*

Recensentur deinde censuræ ecclesiasticæ, & pœnæ, in duella constitutæ: quas S. D. N. Benedictus XIV. eadem Constitutione suâ addidit:

I. Ut, si quis in duello, sive publicè sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictûs, sive extra illum, ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Constitutionis Benedicti XIII. *Ex quo divina spoliatur omni privilegio asyli ecclesiastici,*

II. Quin etiam vivente adhuc altero, in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo eveniente illius morte fugam arripere, & legum severitatem evadere posse prospiciatur: permittitur, ut quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto Episcopi, & servatis de jure servandis, ex loco immuni extractus, sinè mora carceribus mancipetur: eâ tamen lege iudicibus indictâ, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus à legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum.

III. Decernit, & declarat sua Sanctitas; sepulturæ sacræ privationem, à sacrosancta Tridentinâ Synodo inflictam morientibus in loco duelli, incurrendam perpetuò fore, etiam ante sententiam iudicis, à decedente etiam extra locum conflictûs ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publicè, sive privatim indictum fuerit; ac etiam si vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit; sublatâ Episcopis, & Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate: quò cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

PARS

Explicatio
Princ. resp.
plicatio

Justitia
Justitia est
autem per

D. Thom.

Justitia ne
tionem su

Ut Matth.

S. Chry.

quasi on

Justitia

nus L.

inchoa

perfecta

Justitia

cuique re

sermo est

4. Objectum

suam cu

Objectum

PARS III.

De Justitia, & Religione.

Explicato jure, ad quod justitiæ virtus (Part. 2. luj. Traçt. Princ.) respicit, prona erit, & facilis ipsius justitiæ explicatio.

SECTIO I.

De Justitia notione.

Justitia nomen variis modis usurpatur. Nam

1. *Justitia* est ea, per quam justificatur impius. Hoc autem pertinet ad justitiam metaphoricè dictum. D. Thom. 2. 2. Q. 58. Art. 2. ad 1.
2. *Justitia* nonnunquam virtutum omnium comple-
xionem significat.

Ut Matth. 5. v. 6. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam.* Unde S. Chrysost. hom. 12. in Matth. ait: *Justitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia.* Quâ significatione *Justitia* etiam *Charitati* confunditur; ut cum S. Augustinus Lib. de Nat. & Grat. Cap. ult. dicit: *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.*

3. *Justitia* virtus est, quâ voluntas obfirmatur, ad cuique reddendum jus suum: quo sensu hîc de ea sermo est.
4. Objectum materiale, & actus proprius, justitiæ est *suum cuique tribuere.*
5. Objectum ejus formale est *hoc peculiare*, quod

suum cuique tribuere sit rationi naturali, divinæ, humanæque legi consentaneum.

6. Mensura justitiæ est *æqualitas* inter jus *activum* *creditoris*, & *passivum* *debitoris*.
7. *Æqualitas* tamen duplex distinguenda, *Arithmetica*, & *Geometrica*.
8. Arithmetica vocant *æqualitatem unius ad unum*: Geometricam *plurium ad plura*.

PROBLEMATA.

1. Utrùm Justitia sit virtus ad alterum. D. Thom. 2. 2. Q. 58. Art. 2.
2. Utrùm intercedere possit propriè dicta justitia inter Deum, & hominem; Patrem, & filium; maritum, & uxorem; herum, & servum.
3. Utrùm medium justitiæ sit medium rei. S. Thom. *ibid.* Art. 10. Sed hæc paucis.

SECTIO II.

De Justitia generali, & particulari.

1. Omnis pars reipublicæ duobus modis potest ad alteram comparari: putà ut *pars ad partem*, seu *civis ad civem*; vel ut *pars ad totum*, sive *civis ad rempublicam*. D. Thom. 2. 2. Q. 58. Art. 5. in C.
2. Virtus, quæ spectat bonum commune, quatenus toti à parte debitum, est virtus specialis. S. Thom. *ibid.* Art. 6.
3. Et secundùm hoc actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere, secundùm quod ordinant
homi-

hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc iustitia hæc dicitur *virtus generalis*. S. Thom. *ibid. Art. 5.*

4. Et quia ad legem pertinet *ordinare in bonum commune*,... inde est, quòd talis iustitia... generalis dicitur *iustitia legalis*: quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune. S. Thom. *ibid.*

5. Præter iustitiam legalem oportet esse *particularem* quandam iustitiam, quæ ordinet hominem circa ea quæ sunt ad alteram singularem personam. S. Thom. *ibid. Art. 7.*

6. Iustitiæ particularis duæ sunt species: altera *commutativa*, quâ homo in his dirigitur, quæ mutuò inter duas personas ad invicem sunt: altera *distributiva*; quæ *communium* distributiva est secundum quandam proportionabilitatem. S. Thom. 2, 2. Q 61. Art. 1. in C.

Commutativa dicitur eò, quòd commutationes rerum potissimum dirigat.

SECTIO III.

De Iustitia distributiva.

PRINCIPIA.

1. Iustitia distributiva versatur circa distributionem commodorum, & onerum communium, inter membra communitatis, servatâ proportione ad me-

- rita, & vires singulorum, invicem comparata.
2. Distributio, quæ pertinet ad justitiam distributivam, est pecuniæ, vel honoris, vel aliorum, quæcunque dispertiri possunt inter eos, qui communitate communicant. S. Thom. 2. 2. Q. 61. Art. 3. arg. 2.
 3. Justitia distributiva, & commutativa, eatenus conveniunt, quòd utraque respicit *debitum aliquo modo*, & quòd utraque æqualitatem constituit. S. Thom. *ibid.* Art. 2. ad 2.
 4. Differunt verò penès diversam rationem debiti, & penès diversam æqualitatem, quam constituunt. Q. 61. cit. Art. 1. ad 5. § Art. 2. in C.
 5. Nam justitia distributiva non respicit *jus*, sive *debitum*, *presè dictum*; ut justitia commutativa.
 6. Et in justitia distributiva non accipitur *medium secundum æqualitatem rei ad rem*; sed *secundum proportionem rerum ad personas*: ut scilicet, sicut una persona excedit aliam; ità etiam res, quæ datur uni personæ, excedat rem, quæ datur alteri. S. Thom. Q. 61. Art. 2. in C.
Nempe in justitia distributiva tantò plus alicui de bonis communibus datur, quantò illa persona majorem habet principalitatem in communitate. *Idem ibid.*
 7. Quando in membris reipublicæ est, vel ex lege, vel ex pacto tacito, aut expresso, *jus ad rem strictè dictum*; tunc, quando juxta illud jus fit distributio bono-

bonorum
 tativa, no
 2. ad 4.
 Hinc resp
 & Magist
 milibus
 pecuniis
 emeront
 Et vicissim
 mutativa
 electa o
 8. Vitium, just
 4. sive per
 9. Personarum
 datur, e. g.
 betur quo
 10. Quando v
 nulli debet
 vitium,
 Hinc perso
 tuas, nu
 1. An, & qua
 el Magistratus
 regionibus.
 2. An, & quo
 stinguatur, d
 us conferre.
 3. An, & quid
 4. An, & quid
 us consequere

bonorum communium, exercetur *justitia commu-
tativa*, non distributiva. S. Thom. Q. 61. Art.
2. ad 4.

Hinc respublica debet ex justitia commutativa Principibus,
& Magistratibus, sustentationem statui convenientem;
militibus stipendium; operis conductis mercedem; iis, qui
pecunias reipubl. mutuas dederunt, vel censum ab ea
emerunt, debitam satisfactionem.

Et vicissim conducti à republ. debent illi ex justitia com-
mutativa fidelem muneris sui administrationem; quâ ne-
glectâ obstringuntur ad reparanda damna inde manantia.

8. Vitium, justitiæ distributiæ oppositum, est *προσωπολη-
ψία*, sive personarum acceptio.

9. Personarum acceptio est, quando ex privato affectu
datur, e. g. propinquo, vel amico; quod alteri de-
betur quodammodo.

10. Quando vero uni das ex gratia præ altero, quod
nulli debetur ullo modo: non incurris *προσωποληψίας*
vitium.

Hinc personarum acceptor non est Deus; quamvis gratias
suas, nulli debitas, distribuatur, quibus vult.

QUÆSTIONES.

1. An, & quatenus, justitia distribuens obstringat Principem,
vel Magistratus, ad honores, & officia reipubl. conferenda
dignioribus.

2. An, & quo ex capite, Patroni, sive ecclesiastici, sive laici,
obstringantur, dignitates, & beneficia ecclesiastica, digniori-
bus conferre.

3. An, & quid, debeat restitui; si præteritus fuerit dignior.

4. An, & quid, debeat restituere, qui dolo malo impedivit, ne
alius consequeretur beneficium, vel officium.

5. An,

5. An tributorum, & onerum communium, ea distributio, ut nemo oneretur supra facultates suas, pertineat ad justitiam distributivam, an commutativam.

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Innoc. XI. 47ma: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primò videtur per hoc DIGNIORES non aliud significare velle, nisi DIGNITATEM eligendum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minus proprià ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

OMITTENDUM.

An definitio justitiæ univocè conveniat legali, distributivæ, & commutativæ. Et, an distributiva sit propriè justitia.

SECTIO IV.

De justitia commutativa.

PRINCIPIA.

1. Justitia commutativa (quæ est antonomasticè justitia) illa est, quæ tribuit cuique suum, nullo habito ad merita respectu, absque comparatione unius ad alia membra communitatis.
2. Respicit in eo, erga quem exercetur, *verum proprium jus.*
3. Constituit ut plurimum *æqualitatem arithmeticam* rei ad rem.

Nam in commutationibus redditur aliquid singulari personæ propter rem ejus, quæ accepta est; ut maximè patet in emptio-

emptio.
rem rei: ut
quod est al
mas 2. 2. Q
Nonnunquam
væ constituit
Velut in con
creditorum
excedenti
Quamvis ju
reipubl. or
nas ad lingu
Tamen pote
vem. Sect.
Sicut justiti
num; ita co
num. S. Th
Quorum qu
rò volun
Involunt
terius, vel
Paucis, com
mas quas
clam, sive
pria, vel
Voluntari
do aliquis v
Ibid.
Et, si quid

emptione, & venditione... Et ideo oportet adæquare rem rei: ut quantum iste plus habet, quam suum sit, de eo, quod est alterius, tantundem restituat ei, cuius est. S. Thomas 2. 2. Q. 61. Art. 2. in C.

4. Nonnunquam verò etiam instar iustitiæ distributi-
væ constituit *aequalitatem* quandam *geometricam*.

Veluti in contractu societatis; iure accretendi; concursu creditorum; distributione legatorum, vires hæreditates excedentium &c.

5. Quamvis iustitia commutativa plerumque partem reipubl. ordinet ad partem, id est, singulares personas ad singulares personas;

6. Tamen potest etiam reperiri inter rempubl. & civem. *Sect. præc. Princ. 7.*

7. Sicut iustitia distributiva est directiva *distributio-
num*; ita commutativa est directiva *commutatio-
num*. S. Thom. Q. 61. cit. Art. 3. in C.

8. Quarum quædam sunt *involuntariæ*, quædam ve-
rò *voluntariæ*. Idem *ibid.*

9. *Involuntariæ* quidem, quando aliquis utitur re al-
terius, vel personâ, vel operâ, eo invito. Idem *ibid.*

Paucis, *commutationes involuntarias* vocat hoc loco S. Tho-
mas quaslibet læsiones, vel injurias, quæ inferuntur, sive
clam, sive per apertam vim, alterius bonis, personæ pro-
priæ, vel ei conjunctæ, honori, membris, vitæ &c.

10. *Voluntariæ* autem commutationes dicuntur, quan-
do aliquis voluntariè transfert rem suam in alterum.
Ibid.

11. Et, si quidem simpliciter in alterum transferat rem
suam

fuam *absque debito*, sicut in donatione, non est actus justitiæ, sed liberalitatis. *Ibid.*

12. In tantum autem ad justitiam voluntariam translatio pertinet, in quantum est ibi aliquid de ratione debiti. *Ibid. & sup. Princ. 2.*

13. In omnibus autem hujusmodi actionibus, sive voluntariis, sive involuntariis, est eadem *ratio accipiendi medium, secundum equalitatem reparationis*. Et ideo ad unam speciem justitiæ pertinent, scilicet ad *commutativam*.

14. Actus justitiæ commutativæ sunt duo: *suum*, id est, propriè debitum, *cuique tribuere, & neminem ledere*.

Prius ad præcepta justitiæ affirmativa; posterius ad negativa pertinet. *Honestè vivere*, si referatur ad bonum commune, ad justitiam *legalem* spectat.

15. Restitutio est actus commutativæ justitiæ, S. Thom. 2. 2. Q. 62. in C.

QUÆSTIO.

An justum simpliciter sit idem, quod τὸ ἀντιπεπρωμένον, sive *contrapassum*, ut ex Aristotele vertit D. Thom. Q. 61. cit. Art. 4.

Contrapassum dicitur, cum quis idem patitur, quod fecit alteri; ut e. g. si percutiatur, qui percussit. Quæ *pœna Talionis* dicitur. Justum in contrapasso situm esse statuebant Pythagorici, & idem dicitur probasse Rhadamanthus Cretensium iudex, ut refert Aristoteles L. 5. Ethic. Cap. 5. Simile quid videtur statui Exodi 21. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.*

livore. Et Matth. 7. v. 2. *In qua mensura mensi fueritis, reme-
tietur vobis.* De quaestione hac, non prorsus inutili, videri
potest D. Thom. l. c. Aristoteles l. c. Molina de J. & J.
Tom. 1. Tract. 1. Disp. 13.

SECTIO V.

De Justitia vindicativa.

PRINCIPIA.

1. Justitia vindicativa residet propriè in Superiore, ha-
bente potestatem puniendi delicta.
2. Reducitur quidem ad justitiam commutativam,
quatenus ad æqualitatem secundum proportionem
arithmeticam pœnam exigit, pro delicti, injuriæque
quantitate.
3. Deficit tamen à perfecta ratione justitiæ commutati-
væ; partim, quia damnum illatum non semper re-
sarcit, sed jubet solùm pati reum, quantum justum
est ipsum pati pro delicto; partim quia in reo non
respicit propriè dictum jus ad pœnam.
4. In actionibus, & passionibus, conditio personæ facit
ad quantitatem rei, sive delicti.

Major enim est injuria, si percutiatur Princeps, quàm si per-
cutiatur persona privata. S. Thom. 2. 2. Q. 61. Art. 2. ad
3. Sæpè etiam conditio loci, & rei, facit ad quantitatem
delicti, ut e.g. si quis furetur rem sacram, aut è loco sacro.

5. Propterea justè plus punitur, qui percutit Princi-
pem, quàm qui percutit personam privatam. *Ibid.*
Art. 3.

Dd

6. Qui

6. Qui secundum gradum sui ordinis vindictam exercet in malos; non usurpat sibi, quod Dei est, sed utitur potestate, sibi divinitus concessâ. S. Thom. 2. 2. *Q. 108. Art. 1. ad 1.*
7. Si vindicantis intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum. *Ibid. in C.*
8. Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod perveniatur per poenam peccantis; putà emendationem, vel cohibitionem ejus, quietem aliorum, justitiæ conservationem, Dei honorem, potest esse vindictio licita, aliis debitis circumstantiis servatis. *Ibid.*
9. Vindicativæ Justitiæ opponuntur duo vitia: unum quidem *per excessum*, scilicet peccatum *crudelitatis*, vel *servitiæ*, quæ excedit mensuram in puniendo. S. Thom. *Q. 108. cit. Art. 2. ad 3.*
10. Aliud autem est vitium, quod consistit *in defectu*: sicut cùm aliquis est nimis remissus in puniendo. *Ibid.*

QUÆSTIO.

An, & ex quâ causâ, possit quis puniri aliquando sine culpa,
Vid. S. Thom. *Q. 108. cit. Art. ult.*

SECTIO VI.

De Religione.

Inter partes potentiales justitiæ, id est, virtutes ei

an-

annexas, primam S. Thomas 2. 2. *Q. 80. Art. unic.*
 numerat Religionem; quippe quæ in aliquo cum vir-
 tute justitiæ conveniat, quia respicit debitum; in aliquo
 tamen deficiat à perfecta ejus ratione, in quantum de-
 ficit à ratione æqualis. Nam quidquid ab homine Deo
 redditur, *debitum* est, non tamen potest esse *æquale*.
 D. Thom. *l. c.*

PRINCIPIA.

1. Religio est virtus, per quam homines Deo cultum,
 & reverentiam exhibent. D. Thom. 2. 2. *Q. 81.*
Art. 1. in C.
2. Cum Deus religionis *finis* potiùs sit, quàm *objectum*,
 vel materia; propterea non est virtus Theologica,
 sed moralis. *Ibid. Art. 5. in C.*
3. Per actus ejus proprios, quos elicit, sicut sacrificare,
 adorare, & omnia hujusmodi, homo ordinatur ad
 solum Deum.
4. Per actus aliarum virtutum, quibus inaperat, ordi-
 nans eos ad divinam reverentiam, homo ordinatur
 etiam ad proximum, & se ipsum. S. Thom. *Q. 81.*
cit. Art. 1. ad 1.

Atque ex his explicandum illud Jacobi 1. *ψ. ult. Religio munda,*
& immaculata apud Deum, & Patrem, hac est: Visitare pupil-
los, & viduas in tribulatione eorum; & immaculatum se custodire
ab hoc sæculo.

DOGMATA.

1. Non modò *interioribus* actibus virtus religionis

perficitur, sed etiam *exterioribus*; non quidem *principaliter*, sed quasi *secundario*, & ut ad anteriores ordinatis.

2. Religiosus cultus alius est *Latria*, soli Deo competens; alius *Dulia*, & *Hyperdulia*.

Satis erit, hæc paucis delibari hoc loco, ut suggeratur integra huius materiae notitia. Uberius verò de his duobus dogmatis disputatur in præcedentibus Tractatibus.

Interiores actus religionis sunt *Devotio*, *Oratio*, (de quibus Theologia moralis) & *Vota*. Externi sunt *Adoratio*, *Sacrificium*, *oblaciones*, *primitia*, *decimæ*, *juramentum*. Quoniam verò sat jam prolixus est hic Tractatus; cæteris alium in locum reservatis, de solis votis, & juramentis, hic disceptabitur. De Decimis sit hæc sola

QUÆSTIO.

Quo jure debeantur in N. L. decimæ.

SECTIO VII.

De Voto.

PRÆSCITA.

1. Votum est promissio Deo facta.
 2. Ad votum ex parte voventis tria hæc requiruntur. *Primò* quidem deliberatio; *secundò* propositum voluntatis; *tertiò* promissio, in qua perficitur ratio voti.

Superadduntur verò quandoque alia duo ad quandam voti confirmationem, scilicet pronuntiatio oris; & testimonium aliorum. S. Thom. 2. 2. Q. 88. Art. 1. in C.

3. Ex parte rei promissæ requiritur, ut sit possibilis, honesta, & de meliori bono. Ibid, Art. 2. in C. & Art. 3. ad 2.

4. Aliud

4. Aliud est votum *simplex*, aliud *solenne*; cujusmodi vota sunt in susceptione ordinis sacri, & professione religiosâ.
5. Solemnitas votorum ex sola constitutione Ecclesiæ dimanavit. *Cap. un. de Vot. in 6.*

DOGMATA.

1. In utriusque Testamenti paginâ probantur vota, velut Deo grata, cultum ei exhibentia, & hominibus salutaria.
2. Vota, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ non sunt irrita; quasi per ea & fidei, quam professi sumus, detrahatur, & ipsi Baptismo. *Trid. Sess. 7. Can. 9.*
3. Vota ritè facta non possunt sinè sacrilegii crimine violari.
4. Obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sint alicujus regulæ, & ordinis, peculiaria vota, sunt à Regularibus fideliter observanda. *Trid. Sess. 25. Cap. 1. de Regular.*
5. Est in Ecclesia potestas, vota quædam remittendi, vel commutandi.

ERRORES.

(1.) Lutheri, in *Lib. de vot. monast.* dicentis, Ecclesiam primitivam, & novum testamentum, omninò ignorâsse rei alicujus votendæ usum. (2.) Ejusdem ibidem, & Calvini *Lib. 4. Instit. Cap. 13.* docentium, vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi

nisi de rebus præceptis. De non præceptis posse fieri; si non *ad colendum Deum*, aut *satisfaciendum pro peccatis*, sed ad negotia hujus vitæ expeditius peragenda, aut ad vitanda peccata, aut ad alios bonos fines referantur. (3) Eorundem, vota monachorum impia asserentium, irrita, & omnino solvenda; quod fiant cum opinione cultûs; & tamen de iis rebus, quas Deus nusquam præcipit. (4.) Petri Martyris in *Lib. 3. de Cælibatu, & votis monast.* dicentis, vota in veteri testamento fieri potuisse, ut etiam sacrificia, & cæremonias cæteras; in novo testamento fieri non posse, cum sint abrogata cum reliquis judaicis cæremoniis.

QUÆSTIONES.

1. Quorum votorum obligatio transeat ad hæredes.
2. An Summus Pontifex possit dispensare in voto solenni continentiæ religiosæ. Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 88. Art. 11. & 12.

Reliqua de votis relinquuntur Theologiæ morali. Omitte-
tur autem quæstio: *utrum votum sit actus intellectûs, an voluntatis.*

SECTIO VIII.

De Juramento.

PRÆSCITA.

1. Jurare est *Deum testem invocare*. Juramentum est *divini testimonii ad alicujus rei certam confirmationem invocatio*. S. Thom. 2. 2. Q. 89. Art. 1.
2. Divinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum *præsentiâ*, vel *præterita*: & hoc dicitur juramentum *assertorium*. Quandoque autem ad aliquid *futurum*: & hoc dicitur *promissorium*. S. Thom. ibid.

3. Alius

3. Alius modus jurandi est per simplicem Dei contestationem; alius per execrationem. *Ibid. ad 3.*

DOGMATA.

1. Jurare per Deum est per se actus religionis honestus, & licitus. *Deuter 6. v. 13.*

2. Modò juretur *in veritate, in judicio, & in justitia.* *Jerem. 4. v. 2.*

3. Per solum Deum licet jurare primariò: secundariò licet *per simplicem contestationem* jurare per eas creaturas, in quibus divina elucet veritas; *per execrationem* induci possunt, quas diligimus, creaturæ, ut in quibus divinum exerceatur judicium. Vid. *S. Thom. Q. 98. cit. Art. 6. in C.*

4. Juramentum *de futuro*, in judicio, & justitiâ, factum, obligat ad faciendum, ut impleatur veritas.

5. Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.

6. Perjurium semper est peccatum mortale.

7. Quâcunque arte verborum quis jurat, Deus tamen, qui conscientix testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. *Can. 9. XXII. Q. 5.*

8. Sicut in voto, aliquâ necessitatis, seu honestatis causâ, potest fieri dispensatio, ita & in juramento.

ERRORES.

(1.) Wicleffi, qui dicebat, omne juramentum esse illicitum. Cujus dogma, in Concilio Constantiensi *Sess. 2. Art. 4.* damnatum, resuscitârunt Anabaptistæ. (2.) Priscilliani, docentis, omne

omne perjurium esse licitum ; quod damnavit Concilium Bra-
carensis I. Anno 563.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Innoc. XI. 24ta. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non
est tanta irreverentia, propter quam velit, & possit damnare homi-
nem.*

25ta. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive sit res
levis, sive gravis.*

28va. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistra-
tum, vel officium publicum, promotus est, poterit cum restrictione
mentali prestare juramentum, quod de mandato regis à similibus
solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis ; quia
non tenetur fateri crimen occultum.*

Reliquas vide Part. 1. hujus Tract. sect. 2.

QUÆSTIONES.

1. An jurans solvere usuras, aut latroni pecuniam, teneatur
juramento.

2. An, & quos actus, de jure aliàs nullos, firmet juramentum.

Quis sit in judiciis juramentum usus, dum docent Jcti.

PARS IV.

De reliquis virtutibus cardinalibus.

SECTIO I.

De Fortitudine.

PRINCIPIA.

1. Fortitudo est virtus cardinalis, perficiens hominem,
ut secundum rationem sit, & quæ ea propelluntur,
quæ ulum rationis, & quæ secundum rationem sunt,

quo-

quoquo modo impedire possent, S. Thom. 2. 2.

Q. 124. Art. 1. ad 2.

2. Verlatur circa timores, & audacias; dum timores cohibet, & audacias moderatur; maximè in periculis mortis. *Ibid. Art. 3.*
3. Timor, quo aliquis timet, & fugit ea, quæ ratio dicitur esse facienda, ne ea, quæ persequi debet, dimittat, peccatum est. *Ibid. Q. 125. in C.*
4. Non autem is, quo timentur ea, quæ secundum rationem timenda sunt. *Ibid.*
5. Similiter audacia, quæ caret moderatione, vel per excessum, vel per defectum, est passio vitiosa. *Ibid. Q. 127. Art. 1.*
6. Quæ verò moderata est ratione, pertinet ad virtutem fortitudinis. *Ibid. ad 1.*

DOGMATA.

1. Martyrium est actus virtutis, & fortitudinis, quâ aliquis contra persequentium impetus firmiter in iustitia, & veritate permanet. Vid. S. Thom. 2. 2. Q. 124. Art. 1. § 2.
2. Ad perfectam Martyrii rationem spectat, ut mors propter Christum sustineatur. *Ibid. Art. 4.*
3. Martyrium in nondum baptizatis vicem Baptismi obit: dicitur propterea *Baptismus sanguinis.*
4. Martyrium non facit sola pœna, sed cum causâ. *1. Pet. 4. à v. 15.* Pœna enim communis latroni, & martyri, sed causa dispar. S. Aug. *Serm. 2. in Ps. 34.*

Ec

Ubi

Ubi disputabitur de Pseudomartyriis quorundam Heterodoxorum, ut Joannis Hufs, & aliorum. Qua de re legi merentur, quæ scripsit S. D. N. Benedictus XIV. de *Beatif. & Canoniz. SS. Cap. 15. N. 7. & 8.*

- 5. Non tantum fides, sed omnium virtutum opera, ut in Deum referuntur, martyrii causa esse possunt.

QUESTIONES.

- 1. An, & quando obstringatur quis ad offerendum se Martyrio: Et quando illud possit, aut debeat, declinare, fugiendo, vel se occultando.
- 2. Quâ ratione parvuli ab Herode occisi colantur ab Ecclesiâ ut Martyres?

SECTIO II.

De Temperantia.

PRINCIPIA.

- 1. Temperantia est virtus Cardinalis, quâ libido, & concupiscentia refrænatur. *S. Isid.*
- 2. Versatur circa concupiscentiam maximarum delectationum, puta ciborum, potuum, ac venereorum, *S. Thom. 2. 2. Q. 141. in C.*
- 3. Partes ei subjectæ sunt præcipuè Abstinencia, Sobrietas, & Castitas.
- 4. Abstinenciæ opponitur gula; sobrietati ebrietas, castitati luxuria.
- 5. Sex Luxuriæ species enumerat *S. Thom. 2. 2. Q. 154. Art. 1.* Fornicationem simplicem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & vitia contra naturam.

1. Ab-

Abstinere c
 utroque in
 Ecclesia po
 nentias: qu
 Ubi de ant
 gelmæ.
 Vini usus
 Ebrietas r
 Virginitas
 in cælis pr
 Status virg
 jugali. 1.
 Est quædar
 libet, eiat
 (1.) Protes
 sjunia conte
 bentiam, eò
 eorum esse.
 ni æquiparan
 quem confuta
 Calvini. (4
 ubi Diacor
 tates pudicit
 PR
 Quæ de jejur
 Ab Alexan

• (219) •
DOGMATA.

1. Abstinerere certis cibis, carnemque macerare jejunio, utroque in Testamento commendatur.
2. Ecclesia potest imperare fidelibus jejunia, & abstinentias: quæ sunt religiosè observanda.
Ubi de antiquissima observantia, & veneratione Quadragesimæ.
3. Vini usus moderatus non est prohibitus:
4. Ebrietas tamen est intrinsecùs mala.
5. Virginitas perpetua Deo gratissima est, peculiarique in cœlis præmio donabitur. *Apoc. 14. v. 3. & 4.*
6. Status virginitatis, vel cælibatùs, est melior statu conjugali. *1. Cor. 7. v. 38. Trid. Sess. 24. Can. 10.*
7. Est quædam observanda ab omnibus, & statui cui-libet, etiam conjugali, conveniens castitas.

ERRORES.

(1.) Protestantium, imperatas ab Ecclesia abstinentias, & jejunia contemnentium. (2.) Manichæorum, vini usum prohibentium, eò quòd dicerent, illud à diabolo factum, & fel draconum esse. (3.) Joviniani, statum conjugalem virginitatis statui æquiparantis; imò cælibatum naturæ repugnare asserentis; quem confutavit S. Hieronymus, sed sequuntur Lutherus, & Calvinus. (4.) Vigilantii, & ejus consortium, qui non ordinabant Diaconos, nisi priùs uxores duxissent, nulli cœlibi credentes pudicitiam. S. Hieron. *Lib. cont. Vigilant. ab inie.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Quæ de jejunio sunt, ad Theologiam moralem remittuntur.

Ab Alexand. VII. 24ta. *Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt*

Ec 2


pec-

peccata ejusdem speciei infima; ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25ta Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis precepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

28va. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur

49na. Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.



TRACTATUS VI.

De Verbi Divini Incarnatione.

AD gratiarum, virtutum, ac donorum cœlestium, hætenus explicatorum, Auctorem contemplandum Theologia Dogmatica, & Scholastica nunc progreditur. Est is Dominus noster JESUS CHRISTUS verus Deus, & verus homo: De cujus plenitudine... nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Quia... gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Joan. cap. 1. v. 16. & 17.

Duas Tractatus hic in partes distribuetur: Prima circa Mysterium ipsum Incarnationis versabitur; Altera circa Historiam dogmaticam mysteriorum, ad Incarnationem pertinentium.

PARS I.

De ipso secundum se Incarnationis Mysterio.

SECTIO I.

Incarnationis Notio, Possibilitas, Existentia.

PRINCIPIA PRÆVIA.

1. Incarnatio est naturæ humanæ à Verbo Divino facta assumptio in unitatem personæ.